IN D. PAVLI AD ROMANOS EPISTOLAM EXEGEMA.

In quo partium dispositio clarissimè ostenditur.

AVTHORE
ANDREA HYPERIO.

Eme & lege Lector candide, inuenies quædam à nullis adhuc animaduersa.

LONDINI.
Excudebat Thomas Vautrollerius, Typographus.
1577.

BIBLIOTHECA·ROMANA

ANDREAS HYPERIVS LECTORI CANDIDO S.

CVM iam tertium enarrare grauem & sublimẽ D. Pauli ad Romanos Epistolam, & quidem longè vberius diligentiúsque quàm antea feceram, candide Lector, constituissem : diutiuscule cogitaui quomodo argumẽtum eiusdem epistolæ maximo cum auditorum fructu explicarem. Venit autem in mentem nulla ratione commodius quod cupiebam præstari posse, quàm si totam à capite ad calcem succinctè percurrerem, ac percurrendo materiam vniuersam partiúmque singularum dispositionem, simplici atque expedito docendi ordine commonstrarem. Nihil quippe, si docendi magistris creditur, neque necessarium magis, neque vtilius, ad clare percipiendum scriptoris mentem, quàm ante omnia dispositionem partium in oratione præsertim longa peruidere.

Ecce autem ſimulátque iſtud facere in ſchola ſum agreſſus, animaduerti non paucos ex auditoribus eóſque imprimis, qui iudicio ac doctrina cæteris præſtant, magna alacritate quæcunque per me in mediũ proferebantur, excipere, atque in libellis ſuis memorialibus diligentiſſimè cõſignare. Quin vbi poſt pauculos dies abſoluiſſem, quidam ſæpenumero precibus à me contenderunt exegema illud (ita namque quod nõ niſi pro argumẽto nobiliſſimæ epiſtolæ exhibueram, quódque futuræ exegeſeos portio tantum aliquota videri poterat, placuit appellare) prælo committere, atque omnibus rerum ſacrarũ ſtudioſis impartiri ne grauarer. Agere enim alibi nonnullos pios iuxtáque doctos qui tranſcribi & mitti ſibi auidè flagitent. Quid hic facerem? Ego votis honeſta poſtulantium tandem annui, & breuiter recognitis quibuſdã illuſtratíſque, quæ, vt ex tempore, craſſius effuderã, vela vẽtis, quod dicitur, permiſi. Quamuis, ſi quod res eſt fatear, paſſus ſum iſthuc me adduci, non tam vt candidati Theologiæ haberent illud in manibus, legerent, examinarẽt, fructúmque aliquem inde conſequerentur, quàm vt ipſe quoque doctorum hominum, ad quorum fortè manus perueniet, libera ſinceráque de eo audirem aliquando iudicia,

per quæ proficere ac doctiorem me reddi posse spem certam ego pridem cõcepi. Quæ cùm ita se habent, neque alia fuerit reuera consilij mei de edendo hoc exegemate ratio, equidem à Lytis ac Prolytis in Theologica facultate impetratum cupio, grato animo accipiant, necnon ad suam conuertant vtilitatem, quod animo prouehendi ipsorum studia conferimus: at verò Antecessores, quíque iam in Senatum sacra docentium sunt allecti, etiam atque etiam oro, imò per Christum obtestor, vt si quid, quantum inquam ad explicandam dispositionem, cuius propè solius cura à nobis hic suscepta est, attinet, corrigendum aut mutandum deprehenderint: (deprehensuros autem impudens profecto sim si non agnoscam) significare mihi per literas, vel quacunque ratione alia, ne dedignentur. Tametsi enim ego in demonstrãda partium œconomia, à viris tum doctrina tum vitæ sanctimonia insignibus, qui in eadem arena, multo labore, & quod dissimulare nisi oppido maligni ingenij nemo potest, feliciter admodum ante nos sunt versati, frequenter & in multis discedo: maximéque ea parte qua in difficilima dissertatione de hominis iustificatione per fidem, primus perutilem ac necessariam confutationem

ſuo conſtitutam loco oſtendi: peruelim tamen omnes ſciant, nihil ita à me eſſe aſſeueratum, quin ſi quis candide, allatíſque euidẽtibus firmamẽtis à recto tramite deuiaſſe me vſpiam declararit, paratus ſim ſtatim pro illius arbitrio mea incudi reddere, formámque inducere meliorem. Neque hoc ſolum, verum etiam fido præceptori pro integritate atque beneuolentia minerual, ſi quando ferat occaſio, dependam. Nos certè eruditorum hominum virgulæ cenſoriæ noſtra omnia quàm libentiſſimè ſubmittimus: rati nimirum hanc demum certam eſſe viam ad proficiendum, necnon ad aliquid cum laude & fructu in Eccleſia perficiendum, aliorum quos doctrina ſolida conſtat præditos, de ſcripturarum interpretatione ſententias placido animo audire: cum ex aduerſo palàm ſit, arrogantis planè & ad multorum pernitiem eluctantis ingenij eſſe, per omnia ſibi ſoli fidere, reliquos aſpernari, monitorẽ vbi errarit pati nolle. Quod ſi interea tẽporis laborem meum doctis ac piis probatum iri intellexero, calcar mihi addetur ad cogitandum de emittendis aliquando in lucem, aliis quibuſdam, ſi Deus Optimus Maximus ſpiritualis ſapientiæ omnis largitor aſpirauerit, lucubrationibus, quas ad promouenda

tyroci-

tyrocinium in Sacris literis adhuc facientium ſtudia, ſpero equidem nomentum aliquod allaturas. Cæterum de hac ratione inueſtigandi eruendíque in libris Sacris ſimplicem atque apertam authorum ſententiam, minime opus eſt multis verbis in præſentiarum diſputem. Illud tantum dicam breuiter. Origenes ille Adamãtius ſcriptum reliquit Epiſtolam ud Romanos perſimilem ſibi viſam amplo opulentiſſimi regis palatio, in quod quicunque hoſpes ingreſſus fuerit, dum per diuerſas viarum ambages, multóſque conclauium receſſus, modo huc, modo illuc deducitur, dum præterea ex variis opibus quæ in illis repoſitæ ſunt, alia quidem propè, alia tantum procul, & quaſi per tranſennam ei oſtenduntur, ab aliis vero prorſus excluditur: tandem poſt omnia luſtrata, egrè poteſt decernere, ecquid ibi viderit aut non viderit, & cùm meditatur exitum quà progredi aut egredi debeat, miſer, non inuenit. Ita inquam de hac Epiſtola Origenes, & multi eum propter authoritatem magis quàm iudicio ſecuti. Atqui affirmare auſim Origenem nunquam ita fuiſſe pronunciaturum, ſi inquirendæ partium in ea diſpoſitioni paulo diligentius, quo modo à nobis factum eſt, incubuiſſet. Confido nanque me tenui hoc Exege-

mate iſtud conſecutum, quicunque attente, quantáque par eſt animi ſolertia perlegent, haud grauatim opinor confitebuntur ſe mea opera vehementer adiutos, necnon in Paulina Epiſtola deinceps non quaſi in Dedali labirintho, ſed tanquam in domo nota, ſine tædio & citra aberrãdi metum, verſari poſſe. Verum de toto hoc enarrandi genere aliâs forſitan tempeſtiuius. Bene Vale. Datæ Marpurgi Calendis Maij. Anno M. D. XLVIII.

IN

T. V.

IN EPISTOLAM D. Pauli ad Romanos Exegema.

Authore ANDREA HYPERIO.

ARGVMENTVM.

DIVIDITVR *tota Epistola in quatuor partes principales. Prima disserit Apostolus de hominis coram Deo iustificatione, ac definit, iustificari homines apud Deum fide in* IESVM *Christum, idque gratuita propter eundem misericordia absque vllis legis operibus. Quam sententiam, quandoquidē vniuersæ doctrinæ Euangelicæ caput est, summámque salutis nostræ complectitur, iusta ac graui disputatione explicat: Propositione, Confirmatione, Confutatione, Conclusione, denique omnibus quæ ad docendum sunt necessaria, optimo ordine & sapientissimè adhibitis, vt desiderari nihil possit. Protrahitur autem disputatio hæc à dimidio capitis primi ad finem vsque capitis octaui.*

Secunda pars continet egregiam disputationē de reiectione Iudæorum ac Gentium vocatione. Etsi enim perpauci ex Iudæis Christum reciperent, impletas nihilominus esse promissiones ad patres factas de salute Iudæorum per Christum

adſerenda euincit. Vnde vero id fieret quòd illi tantopere Chriſtũ atq; Euangeliũ eius auerſarẽtur, necnõ tanquã prorſus reiecti à Deo irent perditũ, luculẽtis rationibus, quæ ſiue ex parte Dei, ſiue ex parte eorum cõcurrunt, demonſtrat. Inde autem, quaſiq; eadem opera ex ſcripturis docet, fructus promiſſionum Euangelicarum & ſpiritualia beneficia per Chriſtum allata, etiam ad gentes deuolui, gentibus impendi, quantumuis inuidi Iudæi reclamarent. Quarum quidem rerum cognitio erat Romanis, imò omnibus gentibus perquàm neceſſaria, ídque non tam vt certi fierent gentiles, Chriſtum quem prædicari audierant eſſe verum illum Meſſiam Iudæorum patribus olim promiſſum, quàm vt in cõcepta ſemel perſuaſione de ſalute per Chriſtũ ſibi quoq; expectanda cõfirmarẽtur. Nam vtrunq; maxima pars Iudæorũ cupiẽs ſalutis viam gẽtilibus vndequaque præcludere, pertinaciſſimè negabat. Tribus capitib. nono, decimo, vndecimo, pars hæc abſoluitur. Tertia parte tradũtur præcepta atq; exhortationes de variis officiis charitatis, quæ ſunt fidei, de qua in prima parte agebatur, inſeparabiles quaſi fructus, adeoq; viua teſtimonia. Hæc pars capita duodecimũ, tertiumdecimũ, quartũdecimum, & totum propè decimũquintũ occupat. Quibus omnib. quarta pars cõtinẽs appendicẽ de rebus familia. vti ſolet in epiſtolis fieri, ſubiicitur.

SALV-

SALVTATIO SIVE INSCRIPTIO.

Cap. I.

PAVLVS ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus ad munus Apoſtolicum, ſegregatus in Euangelium Dei,

2 Quod ante promiſerat per prophetas ſuos, in ſcripturis ſanctis.

3 De filio ſuo, qui genitus fuit ex ſemine Dauid, ſecundum carnem,

4 Qui declaratus fuit filius Dei cum potentia, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex eo quod reſurrexit è mortuis Ieſus Chriſtus dominus noſter,

5 Per quem accepimus gratiam ac muneris Apoſtolici functionem, vt obediatur fidei inter omnes gentes ſuper ipſius nomine,

6 Quorum de numero eſtis & vos, vocati Ieſu Chriſti.

7 Omnibus qui Romæ eſtis dilectis Dei, vocatis ſanctis, gratia vobis & pax à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.

Quemadmodũ in Epistolis fieri decet salutationem seu inscriptionẽ præfigit, licet multo ditiorem instructioremq́ quàm cæteri scriptores solẽt.

1 Vocatus. *Addit quædam de suo officio ac dignitate.*

2 Quod ante. *Occasione sumpta à voce Euangelij, interserit etiam luculentam Euangelij descriptionem, ductam ex variis circumstantiis, nempe: ab authore Deo: ab antiquitate: ab authoritate testium, prophetarum inquam: à certitudine atque excellentia instrumentorum, videlicet sanctarum scripturarum, quæ ex cœlestis curiæ archiuis depromptæ sunt: à præstantia materiæ seu obiecti, id est, ipsius Christi, veri hominis & veri Dei.*

4 Cum potentia. *Christum esse Deum ex duobus signis breuissimè colligit, videlicet ex potentia illa planè diuina, quæ elucet: primum in donatione spiritus sanctificãtis: deinde in eo quod suapte virtute à morte resurrexerit, resurrectionisq́ aliorum causa sit.*

5 Per quem. *Redit ad officij sui commendationẽ. Quòd si copulentur hæc verba superioribus, hoc modo: Vocatus ad munus apostolicum, segregatus in Euangelium Dei, per quem accepimus, &c. tanquam si præcedens Euangelij descriptio per parenthesin foret adiuncta: tyrones sententiam facilius assequentur. Cæterum commendat*

mẽdat officium ſuum: à legitima vocatione, à genere functionis, à cauſſa finali, ab obiecto, ſiue ab authore Chriſto. Ideo vero ſtatim tum officium ſuum, tum Euãgelium ipſum hoc pacto celebrat, vt nimirum ab vtroque, id eſt, ab officio & à genere doctrinæ authoritatem iis quæ ſcripturus eſt, conciliet. Atque ita caue putes aliquid ociosum aut redundans hic contineri, ſingula ſunt iuſtiſſimis de cauſis expreſſa.

7 Omnibus qui Romæ. *Perſonæ ſalutatæ, eæq; ſuis honeſtatæ titulis verè magnificis.*

Gratia & pax. *Bona ampliſſima, præcipuéque ſpiritualia quæ illis precatur.*

EXORDIVM.

8 PRIMVM quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum, ſuper omnibus vobis, quod fides veſtra annunciatur in toto mundo.

9 Teſtis enim mihi eſt Deus, quem colo ſpiritu meo, in Euãgelio filij ipſius, quod indeſinẽter mentionẽ veſtri faciã,

10 Semper in precibus meis orans, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter contingat, volente Deo, vt veniam ad vos.

11 Deſydero enim videre vos vt

aliquod impertiar vobis donum ſpirituale, quo confirmemini,

12 Hoc eſt, vt communem capiam conſolationem in vobis, per mutuam fidem, veſtram ſimul & meam.

13 Nolo autem vos ignorare fratres, quod ſæpe propoſueram venire ad vos, licet præpeditus fuerim ad hunc vſque diem, quo fructum aliquem haberem inter vos quoque, quemadmodum & inter reliquas gentes.

14 Græcis ſimul & Barbaris, eruditis pariter ac rudibus debitor ſum,

15 Ita quantum in me eſt, paratus ſum vobis quoq; qui Romæ eſtis, Euangelizare.

16 Non enim me pudet Euangelij Chriſti. Potentia ſiquidem eſt Dei, ad ſalutem omni credenti, Iudæo primum, ſimul & Græco.

8 *PRimum quidem gratias ago, &c. Et hic ſpectari poteſt quod in Epiſtolis ſeruari decorum ſolet. Eſt enim exordium, in quo benevolos, dociles & attentos reddit. Primum autem*

tem se offert locus beneuolentiæ, quando orditur à congratulatione ob eorum in Euangelio profectum. Estq́; hæc exordij propositio.

9 Testis enim mihi. *Confirmatio propositionis ab effectis, siue à signis duobus: altero, quòd pro illis indesinenter orat: altero, quòd illos aliquando coràm videre desiderat. Quorum vt fidem faciat, nõ dubitat iuramentum interponere.*

11 Desidero enim. *Ratio præcedentium signorum maximéque posterioris, sumpta à caussa finali, multo tum honestissima, tum etiam Romanis vtilissima.*

12 Hoc est, vt. *Correctio qua, ne qui interpretarẽtur aliquo modo arrogantius dictum, quòd vellet illos in doctrina confirmare, mira ciuilitate orationem temperat, dicens: se non tam illorum quàm sua ipsius caussa id desiderare, nimirum vt ipse quoque consolationem accipiat, nec non in fide confirmetur. Probè nouit Apostolus, quid apud quosuis deceat.*

13 Nolo autem vos. *Obiter & quadam occupationis forma interserit excusationem, cur hactenus eos nõ inuiserit. Dixissent enim: si tanto tenebaris nostri videndi desiderio, cur ad nos non properasti? Respondet: Nolo vos ignorare, &c. Fructum suum intelligit profectum auditorum, atque Euangelij propagationem.*

14 Græcis simul. *Rationis paulo ante po-*

sita probatio, ab officio Apostolico. Ideo, inquit, desiderani vos videre & spirituale donum impartiri, quia id muneris mihi est à DEO *delegatum, vt doceã omnes Gẽtes, ac proinde vos quoq; Romanos. Vbi in postremis verbis ratiocinatur ab vniuersali ad particularem affirmatiuè. Omnibus debitor sum, igitur & vobis. Et commoda distributione significat omnes gentes, quarũ pars dicebantur Graci, pars vero Barbari, intelligi inde cupiens se gentium proprie esse Apostolum, atq; ita etiam Romanorum, & quorumcunque, siue sapientes essent, siue minus sapientes.*

16 Non enim me pudet. *Cõfirmatio præcedentis probationis, à dignitate ipsius Euangelij, qua interim tacitè accendit Romanos, vt magno animo, spretis impiorum ac sapientũ huius mundi ludibriis, Euangelium amplectantur, seq; dociles ad ea quæ traditurus est, præbeant. Quare locus attentionis ac docilitatis rectè hic constituetur.*

Potentia siquidem. *Ratio quare neminem pudere debeat Euangelij, ab effectis atque vsu eiusdem. Singulis verbis magna inest emphasis. Ac solent non paruam habere gratiam in orationum partibus argutæ, iuxtáque graues huiusmodi clausulæ. Aptissimè vero insignis ista Euangelij prædicatio viam parat ad disputationẽ quæ de summa doctrinæ Euangelicæ mox instituitur. Hactenus exordium.*

PRIMA

PRIMA PARS EPISTOLAE,

in qua docetur, Homines iustificari fide in Christum, etiam absque operibus legis.

PROPOSITIO.

17 | Vsticia enim Dei per illud patefit ex fide in fidem. Sicuti scriptum est: Iustus autem ex fide victurus est.

17 Sequitur nunc prima pars principalis huius Epistolæ, in qua plenissimè docetur, quomodo homines apud Deum iustificentur. Statim vero totius disputationis quam instituit, propositionem & sententiam generalem, siue statum, vt vocant, præfigit, dicens: Iusticia enim Dei per illud patefit ex fide in fidem. Id est, in Euangelio patefit: Iusticiam coràm Deo hominibus obtingere ex fide. Significat autem iusticia Dei, iusticiam, non qua ipse iustus est, sed quam in hominibus, pro iusticia approbat. Qua ratione & 1. Corin. 2. sapientia Dei dicitur, quæ coràm Deo sapientia æstimatur: & sapientia hominum, quæ talis censetur ab hominibus. Sic vero & D. Augustinus iusticiam Dei hoc loco inter-

pretatur, libro de spiritu & litera ca. 11. & 33. Quid dico Augustinum? immo clarissimè ipse Apostolus cap. 3. sequenti, vbi ait: Iusticiam Dei absque lege manifestatam esse, ita subnectit. Iusticia Dei in omnes & super omnes qui credunt.

Quòd autem ista verba resecamus à praecedentibus, quibus tamen indiuulsè cohærent, nec non ad probandum, quòd Euangelium sit potentia Dei ad salutem, apparet esse addita, mirum videri nemini debet. Non enim est absurdum aliquid constitui pro initio ad sequentia, in quo nihilominus confirmatio eorum quæ prius dicta sunt aliquo modo continetur. Deinde scire oportet Apostolo familiare esse, omnia sua sic connectere, vt vbi separari partes conueniat, ægrè interdum deprahendas. Id quod possemus multis in locis ostendere.

Sicuti scriptum est. Quia verò quibusdam παραδοξότερον, aut certè obscurius quiddam in propositione dictum videri poterat, ac verosimile est multis apertè per pseudoapostolos, applaudente simul cæca carnis ratione, diuersum fuisse persuasum, Apostolus vt libentius omnes statim assentirentur benigniusq; aurẽ accommodarent ad sequentia, voluit suis verbis protinus adiungere, quasi probationis loco, apertum

tium ſcripturæ teſtimonium, tantundem plane ſignificans, quantum ſuis ipſe verbis ante expreſſerat.

CONFIRMATIO,
eiusq; pars prior.

18 PALAM fit enim ira Dei de cœlo, aduerſus omnem impietatem & iniuſticiam hominum, qui veritatem in iniuſticia detinent,

19 Propterea quod id, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis patefecit.

20 Siquidem quæ ſunt inuiſibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intellguntur, peruidentur, ipſaque æterna eius potẽtia ac diuinitas, in hoc, vt ſint inexcuſabiles,

21 Propterea quod cum Deum cognouerint, non vt Deum glorificauerunt, neque grati fuerunt, ſed fruſtrati ſunt per cogitationes ſuas, & obtenebratum eſt inſciens cor eorum.

Propositionem mox sequitur, vt in alijs grauioribus disputationibus, confirmatio. Quæ quomodo sit constitua, paulo crassius priusquam progrediamur est explicandum. Summa & propositio disputationis vt diximus est: Homines iustificari fide absque operibus legis. Ad hanc cõprobandam hac via procedit. Primum docet homines non posse iustificari operibus: in quo occupatur ferè ad finem vsque capitis tertij, nempe vbi ait: Iustificantur autem gratis &c. Deinde probat pluribus argumentis, iustificari eos fide, ad caput vsque quintum. ita vt si penitius consideremus, vno planè syllogismo totius confirmationis dispositio comprehendi queat, hunc in modum:

Oportet hominem iustificari aut operibus aut fide,
Atqui non iustificabitur operibus,
Igitur iustificatur fide.

A tota disiunctiua ad alteram eius partem cum destructione alterius. His inquam partibus confirmatio tota absoluitur. Iam priorem partem, quod videlicet homines non iustificentur operibus, per quandam distributionem seu potius enumerationem ratiocinando hoc pacto concludit:

Gentiles suis operibus promeriti sunt iram Dei, atque æternæ damnationis rei facti sunt.

Simili-

Similiter Iudæi ſuis operibus promeriti ſunt irã Dei, atq; æternæ damnationis rei facti ſunt. Ergo omnes ſuis operibus rei facti ſunt, neque vllo modo potuerunt iys parare iuſticiam.

Antecedentis priorem propoſitionem tractat hoc primo capite, & magna parte ſecundi: alteram (cuius initium: Ecce tu Iudæus) deinceps, ferè ad finem vſque capitis tertij, vbi expreſſis verbis tandem infert: quandoquidem omnes cõuincuntur rei & obnoxy Deo, manifeſtum eſſe quòd nemo ex operibus legis in conſpectu Dei iuſtificabitur. His ita prælibatis ad totius huius loci tractationem facilior patebit aditus.

18 Palam fit enim. *Propoſitio ad priorem confirmationis partem vniuerſaliter enunciata. Omnes homines iram Dei è cœlo atque æternam damnationem ſunt commeriti, idque propter impietatem atque iniuſticiam, qua veritatem Dei detinuerunt, id eſt, quamuis voluntatem Dei abundè cognouerint, nihilominus impie iniuſteq; agere perrexerunt. Omnem impietatem hominum dixit, pro omnium hominum impietatem per hypallagen, Hæbreis non infrequentem.*

19 Propterea quòd id quod *Expoſitio propoſitionis, maximè poſterioris membri, quo dicebatur ab hominibus veritatem in iniuſticia detentam. Iſtud autem ſic clarius reddit verbis*

paulo post sequentibus: Propterea quòd cùm Deum cognouerint, non sicut Deum glorificauerunt neq; grati fuerunt. Quodq; ibidem mox sequitur: sed frustrati sunt per cogitationes suas, quibus nimirum sibi religiones ac cultus absurdos pro stolido arbitrio confinxerunt: sanè partim maioris euidentiæ causa, partim ad sternendum viam ad sequentia, adijci, facile est decernere. Verum enimuero quia antequam ad probationem procedatur, constare debet de hac hypothesi: quod videlicet veritas ac voluntas Dei omnibus hominibus fuerit cognita, ideo paucis tantundē asserit comprobatq; dicens: Propterea quòd id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis &c. Vbi duas potissimum adfert probationes. Alteram, quòd Deus occultè reuelarit, adeoq; arcano quodam modo insculpserit omnium hominum pectoribus manifestam veritatis noticiam. Alteram, quòd ex ipsa mundi cognitione perpetuaq; conseruatione atq; administratione, clarè eandem deprehenderint. Vbi postremo annectit: In hoc vt sint inexcusabiles: amplificatio est acceptæ cognitionis. Tantam enim eam fuisse declarat, vt ignorationis velamentum prætexere nullum quiuerint. Hæc autem omnia pro vniuersali propositione, & tam contra Iudæos quàm contra Gentiles dicta accipiantur. Accedet aliquid lucis si hæc verba:

ba: Propterea quòd cùm Deum cognouerint, non vt Deum glorificauerunt &c. statim connectantur illis: Qui veritatem in iniusticia detinent; catera vero ceu per parenthesin addita legantur.

22 CVM se crederent esse sapientes stulti facti sunt,

23 Mutauerũtque gloriam immortalis Dei, per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictã, verumetiam volatilium & quadrupedũ & reptilium.

24 Quapropter tradidit illos Deus per cupiditates cordium suorum, in immunditiam, vt ignominia afficiant corpora sua, inter se mutuo,

25 Qui cõmutarunt veritatem eius mendacio, & venerati sunt, coluerunt-que ea, quæ condita sunt supra eum qui condidit, qui est laudandus in sæcula Amen.

26 Quamobrem tradidit eos Deus in cupiditates ignominiosas. Nam & fœminæ illorum mutauerunt natura-

lem vſum, in eum qui eſt præter naturam.

27 Similitérque, & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ exarſerunt per appetentiam ſui alius in alium, maſculi in maſculos, fœditatem perpetrantes, & præmium quod oportuit, erroris ſui in ſeſe recipientes.

28 Et quemadmodum non probauerunt, vt Deum agnoſcerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem, vt facerent quæ non conueniebat,

29 Repleti omni iniuſticia, ſcortatione, verſutia, auaritia, malicia, pleni inuidia, cæde, contentione, dolo, malis præditi moribus,

30 Suſurrones, obtrectatores, Dei oſores, contumelioſi, elati, glorioſi, excogitatores malorum, parentibus immorigeri,

31 Expertes intelligentiæ, pactorum haud quaquam tenaces, alieni a charitatis affectu, neſcij fœderis, immiſericordes.

32 Qui

32 Qui cum Dei iuſticiam nouerint, nempe, quod ij qui talia faciunt, digni ſint morte, non ſolum ea faciunt, verumetiam aſſentiuntur ijs, qui faciunt.

Cap. II.

QVapropter inexcuſabilis es, ô homo, quiſquis es qui iudicas. Nam hocipſo quod iudicas alterum, teipſum condemnas: Eadem enim facis tu qui iudicas.

2 Scimus autem, quod iudiciũ Dei eſt ſecundum veritatem, aduerſus eos, qui talia agunt.

3 Cogitas autem hoc ô homo, qui iudicas eos qui talia faciunt, & facis eadem, quod tu ſuffugies iudicium Dei?

4 Aut diuitias bonitatis illius, ac tolerantiæ, lenitatiſque contemnis, ignorans, quod bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat?

5 Sed iuxta duritiam tuam, & cor

pœnitere neſcium colligis tibijpſi iram in die iræ, quo patefiet iuſtum iudicium Dei,

6 Qui redditurus eſt vnicuique iuxta facta ſua,

7 His quidem, qui perſeuerantes in benefaciendo, gloriam, & honorem, & immortalitatem quærunt, vitam æternam:

8 His vero qui ſunt contentioſi, & qui veritati quidem non obtemperant, ſed obtemperant iniuſticiæ, ventura eſt indignatio, & ira,

9 Afflictio, & anxietas, aduerſus omnem animam hominis perpetrantis malum. Iudæi primum ſimul & Græci.

10 Gloria vero & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, ſimul & Græco.

11 Non enim eſt perſonarum reſpectus apud Deum.

12 Quicunque enim ſine lege peccaue-

cauerunt, ſine lege & peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

13 Non enim qui audiunt legem, iuſti ſunt apud Deum, ſed qui legem factis exprimunt, iuſti habebuntur.

14 Nam cum gentes, quæ legem nõ habent, natura, quæ legis ſunt, fecerint, eæ legem non habentes, ſibijpſis ſunt lex,

15 Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, ſimul atteſtante illorum conſcientia, & cogitationibus inter ſe accuſantibus, aut etiam excuſantibus,

16 In eo die, cum iudicabit dominus occulta hominum, iuxta Euangeliũ meum per Ieſum Chriſtum.

22 Propoſitioni ſubijcitur probatio per diſtributionem vti paulò ante admonuimus, inſtituta, Ac primum quidem probat omnes Gentiles reos eſſe damnationis, eo quòd Deum ſicut debebant non coluerint. Incipit autem ab idololatria,

idque non ſolum quia agnitæ veritati maximè repugnat, & in omnibus Gentilibus communiter cernebatur, verum etiam quia ipſa peccatorum omnium fons eſt, ac planè eiuſmodi vt quæcunq; opera etiam in ſpeciem optima contaminet, nec non vitioſa apud Deum reddat, deinde quia primo conuenit reprehendere peccata cõtra primam tabulam admiſſa.

24 Quapropter tradidit illos. *Vt plenius euincat eſſe reos, alia quoque peccata recenſet contra ſecundam tabulam.*

26 Quamobrem tradidit. *Quod in genere dixit, impios traditos in immunditiam, id nunc per ſpecies explicat.*

28 Et Quemadmodum non. *Quia vero proximè dictis criminibus non omnes tenebantur, ideo per congeriem enumerat plura alia peccata, partim externa partim interna, quorum ſaltem aliqua ſemper inuenta eſſe in cuiuſcunq; ordinis hominibus, negare nemo poteſt. Qua ſanè ratione omnes adhuc reos cõuincit. Vides autem quomodo Apoſtolus ſæpius inculcet, traditos eſſe à Deo, vt nimirum euidentius demonſtret iram Dei palàm in illis manifeſtatã: vides deinde aliquoties repeti veritatis agnitæ cõtemptum, tanquam cauſſam omnino grauem ac iuſtam ob quã adeo fœdè deiecti ſunt.*

32 Qui cùm Dei iuſticiam. *Exaggeratio*

pecca-

peccatorum quæ dixit in omnibus inueniri, ab eo quòd cùm certò scirent Deum talibus actionibus offendi, non modo tamen ipsi ea omnia perpetrarunt, verum in alijs insuper approbarunt, foueruntq́, quod reuera duplici pœna dignum est. Prodest autem hæc ratio nonnihil ad sequentia, vbi intelligi conueniet quosdam agi reos, vel eo nomine quòd impiè agentibus consenserint.

1 Quapropter inexcusabilis. *Dixit de perpetrantibus crassa illa vicia, & de consentientibus: iam contra eos agit, qui visi sunt neque cõmisisse talia, neque in alijs approbasse, sed potius sunt ea studiosè detestati. Extiterunt proculdubio tales quidam morum graues censores, & vitæ externa sanctimonia insignes habiti, vt Pythagoras, Socrates, Solon, Aristides &c. Atqui hos non minus reos coràm Deo, quàm cæteros Apostolus euincit. Vtitur autem hic orationis schemate ad mouendos adfectus, necnon ad extorquendam confessionem peccatorum, maximè idoneo. Etenim per Apostrophen eos aggreditur, & singulari numero vnumquenque seorsim compellat, tum hominis nuncupatione cogit cristas demittere, vt nimirum his rationibus permoti, sese cæteris hominibus natura peccatoribus annumerari patiantur. Est vero vt plurimum externæ innocentiæ & hypocrisi agnatum*

vitium facile alios damnare. Cuius rei exemplũ habemus in Phariſæo Euangelico Luca. 18. Quare vel hoc vno vitioſos eſſe, tacite arguit. Particula διὸ reſpicit ad id quod dictum eſt, eos qui conſentiunt eſſe reos, vt quodammodo inde ſequatur, iſtos quoque qui veluti ſancti alios iudicant, ſimili ratione damnandos.

Nam hoc ipſo. *Probatio quòd inexcuſabilis, à communi ſententia: Qui vitium in alio reprehendit, quo ipſe laborat, ſeipſum damnat. Elegans alluſio in vocibus κρίνεις καὶ κατακρίνεις quaſi diceretur, damnas & condemnas. Obſeruandum vero omnes rationes quibus Apoſtolus vtitur aduerſus gentiles, plærunque à natura eſſe notas: è diuerſo quibus vtitur aduerſus Iudæos peti ferè è ſcripturis. Vtrunque profecto ſapientiſſimè factum.*

2 Scimus autem quòd. *Dixit quidem eos paria peccata admittere, ſed iſtud videbatur difficilimum probatu. Proinde vt conuincat eos, prouocat ad vniuſcuiuſque propriam conſcientiam, & ad Dei iudiciũ, qui intuetur arcana cordium, & videt peccata animo ſeu affectibus perpetrata, etiam ſi ea in apertum non eruperint. Eſtq; ſententia: Demus ita eſſe, quòd craſſa illa peccata non admiſeritis, & coràm mundo non perinde ac cæteri poſſitis damnari: at ſcimus interim, & vos quoque omnes ſcitis, Deum intueri*

ei corda, & secundum veritatem vnumquemque tam qui animo tantum, quàm qui etiam opere externo peccarit, damnare: huius igitur iudicium nullo modo potestis effugere, apud hunc sine dubio rei estis. Vno hoc argumento cogit illos vel propriæ conscientiæ testimonio fateri, quòd coràm Deo rei sint. Quis cogitasset illos hominum opinione præclaros & sanctos viros ita potuisse redargui & planè conuinci? Habent ingens pondus ad commouendum conscientias: formula interrogationis, appellatio hominis, repetitio culpæ, denique singulæ voces, si modo paulò accuratius expendantur. Apparet insuper in consequenti huius enthymematis, quandoquidem repetit illa verba: Qui iudicas eos &c. latere argumentum à minori, hoc pacto: Si tu eos iudicas, qui designant flagitia externa, quanto magis iudicabit te Deus qui videt flagitia tua interna?

4 Aut diuitias. *Occupatio. Quidam volebant sibi vendicare laudem iusticiæ, quòd ira Dei non ita in ipsis manifestaretur, vti in cæteris, qui in crassa illa peccata prolabebantur, quòd item lætis gauderent vbique successibus, quasi suis benefactis istos essent promeriti. Sed Apostolus stultam persuasionem & fiduciam de propria iusticia euertit, contrariam causam diuinæ bonitatis ac tolerantiæ adferendo. Non*

ideo, inquit, differt Deus mala immittere, quia tu iustus es, tuisq; virtutibus beneficia promereris, sed potius vt tu animaduertens bonitatẽ ac tolerantiam eius, arripias occasionem agnoscendi peccata & resipiscendi. Vide ergo ne abs re extollendo tuam iusticiam, Deo fias iniurius, eiusq; bonitate ac tolerantia abutaris.

5 Sed iuxta duriciam. *Subiectio ad præcedentem interrogationem, cum quodam adfectu indignantis, & quodammodo de salute obdurati pectoris desperantis. Significat autem, nisi resipiscant, futurum, vt dilatio iræ Dei in hac vita cædat ipsis ad cumulũ grauioris damnationis in extremo die (quem diem iræ appellat) & post hanc vitam.*

6 Qui redditurus. *Hæc obiter quidẽ interposita sunt, sed valde vtiliter, nempe, ad euidentius exprimendum diuini iudicij seueritatẽ, qua sanè ita descripta spes erat obduratos animos posse vtcunq; emolliri, & ad cogitandum de resipiscentia paulatim adduci.*

9 Aduersus omnem animam. *Vniuersalis nota diligenter obseruanda, quæ & sæpe deinceps ad caput vsque quartum recurrit. Semper autem respicit ad primam propositionem præsentis confirmationis, secundùm quam institutum est hic docere, quòd omnes homines, si respiciantur eorũ opera & adfectus, inueniantur æternæ damnationis*

nationis rei.

Iudæi primum. *Viam sibi parat ad arguendum mox Iudæos. Vnde quæ iam sequuntur generaliter ad gentiles & Iudæos ex æquo pertinent, vt videlicet, vis notæ vniuersalis exactius dinoscatur.*

11 Non enim est personarum. *Epiphonema siue cõmunis sententia Theologica, summam iudicij Dei seueritatem (quam diligentissimè cõsiderandam proposuit) plenius comprobans.*

12 Quicunque enim sine lege. *Expositio epiphonematis mirè conueniens instituto. q. d. In genere, quicunq; peccauerint, peribunt. Non est quæstio, inquit, an legem scriptam habueris vel non, tantum hoc quæritur, num peccaris. Si peccasti, planè reus es. Atq; his verbis omnis excusatio tam Gentilibus quàm Iudæis præripitur. Gentiles prætexebant ignorantiam, quòd videlicet lex non fuisset ipsis data, sicut Iudæis. Iudæi rursus vendicabant sibi prærogatiuam, quòd legem haberent & promissiones, essentq; electus Dei populus. Sed Apostolus breuiter omnibus excusationem omnem adimit. Vnde sequitur. Non qui audiunt legem sed qui legem factis exprimunt. Quæ omnia vt generaliter dicta, ita valde conducunt ad mox sequẽtem obiurgationem Iudæorum.*

14 Nam cum Gentes. *Probatio quòd non*

prosit Gentilibus excusatio qua prætexebant ignorantiam dicentes, se legem non accepisse. Conuincuntur enim, quòd habuerint parem cum Iudæis & sufficientem cognitionem per legem naturæ insculptam omnium animis. De qua lege adfert propriæ vniuscuiusque conscientiæ testimonium ac iudicium. Sibi ipsis inquit, sunt lex, ostendunt opus & vim legis scriptam in cordibus suis. Ideóque & signa manifesta ducta ab vniuscuiusque experientia commemorat.

17 ECce tu Iudæus cognominaris,& acquiescis in lege, & gloriaris in Deo,

18 Et nosti voluntatem, ac probas eximia, institutus ex lege,

19 Confidisque teipsum ducem esse cæcorum, lumen in tenebris versantium,

20 Eruditorem insipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac veritatis per legem.

21 Qui igitur doces alium, teipsum non doces: qui prædicas, non furandum,

dum, furaris:

22 Qui dicis, non adulterandum, adulterium committis: qui execraris simulacra, sacrilegium admittis:

23 Qui de lege gloriaris, per legis transgressionem deum dehonestas.

24 Nam nomen Dei propter vos male audit inter gentes, quemadmodū scriptum est.

25 Nam circumcisio quidem prodest, si legem seruaueris. Quod si transgressor legis fueris, circumcisio tua in præputium versa est.

26 Ergo si præputium iustificationes legis seruauerit, nonne præputium illius pro circumcisione imputabitur?

27 Et iudicabit quod est ex natura præputium, si legem seruauerit, te qui per litteram & circumcisionem transgressor es legis?

28 Non is, qui in manifesto Iudæus sit, Iudæus est, nec ea quæ in mani-

festo sit carnis circunciſio, circunciſio est,

29 Sed qui in occulto Iudæus fuerit is Iudæus est, & circunciſio cordis, circunciſio est, quæ ſpiritu conſtat, non litera, cuius laus non ex hominibus est, ſed ex Deo.

Cap. III.

QVid igitur habet, in quo præcellat Iudæus? aut quæ vtilitas circunciſionis?

2 Multum per omnem modum. Nã primum quidem illud, quod illis commiſſa ſunt oracula dei.

3 Quid enim, ſi quidam fuerunt increduli? Num incredulitas illorum fidẽ dei faciet irritam?

4 Abſit. Imo ſit Deus verax, omnis autem homo mendax. Quemadmodum ſcriptum est: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

5 Quod ſi in iuſticia noſtra Dei iuſticiam

sticiam commendat, quid dicemus? Nũ iniustus Deus, qui inducat iram? Humano more loquor.

6 Absit. Nam quomodo iudicabit Deus mundum?

7 Etenim si veritas Dei, per meum mendacium excelluit in gloriam ipsius, quid posthac & ego veluti peccator iudicor?

8 Ac non potius (quemadmodum de nobis maleloquũtur, & sicut quidam aiunt nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona? Quorum damnatio iusta est.

9 Quid igitur? præcellimus eos? Nullo modo, Nam ante causis redditis ostẽdimus & Iudæos & Græcos omnes peccato esse obnoxios,

10 Sicut scriptum est: Nõ est iustus, ne vnus quidem,

11 Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum,

12 Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui exerceat boni-

tatem, non est vsque ad vnum.

13 Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis suis ad dolum vsi sunt, venenum aspidum sub labijs eorum.

14 Quorum os execratione & amarulentia plenum est,

15 Veloces pedes illorum ad effundendum sanguinem.

16 Contritio & calamitas in vijs eorum,

17 Et viam pacis nõ cognouerunt.

18 Non est timor Dei coram oculis eorum.

19 Scimus autem, quod quæcunque lex dicit, his qui in lege sunt, dicat,

17 Iam secundo loco instituit grauissimam accusationem aduersus Iudæos, in qua euincit hos quoque perinde ac Gentiles, esse reos coram Deo, quia nimirum Deum sicut debebant, non coluerũt. Aggreditur autẽ eos per apostrophẽ, & concessione Rhetorica omnia illis in speciem concedit, ex quibus gloriam sibi maximã captabant, sed id vt tanto iustius mox omnem laudem eis detrahat, & maliciam ipsorum exaggeret. Estq; senten-

sententia. Nunc ad te venio Iudæe, ac lubenter concedo tibi multa præclara præ cæteris mortalibus à Deo concessa, atq; id inprimis ad maximam laudem facere, quod insigni adeo rerũ diuinarũ cognitione sis præditus: sed quantulum hæc prosunt omnia, si eorum quæ nosti, atq; alios vis docere, ipse operibus nihil præstas? Q.d. Isthuc cedet tibi ad maiorem damnationem.

24 Nam nomen Dei. *Probatio, quòd per legis transgressionem dehonestant Deum, à publico testimonio, tum exterorum, tum domesticorum. Dico domesticorum, propterea quod Apostolus hæc ipsa verba mutuatur ab Ezechiele propheta, apud quem capite 36. leguntur. Simile quiddam extat Iesaiæ 52. Atque hoc nomine vult probationem istam pro validissima recipi.*

25 Nam circuncisio quidem. *Etiamsi iam apertè convicti essent legis transgressores, tamen hoc nomine se Deo charos & denuo iustificandos iactare adhuc præsumebant, quòd essent circuncisi. Erat autem circuncisio peculiaris nota quòd essent electus Dei populus, eáque iam diu ante legem instituta, necnon patribus qui legem non audierant, proficua. Quamobrem & seorsim hoc pacto de ea agitur. Sed Apostolus hanc quoque fiduciam per occupationem tollit. Respondet nanq; concedendo*

quidem, quòd circuncisio prosit, sed hac tamen conditione, si legem seruaueris. Quod quidem quando nequaquam fecerunt, relinquitur sanè, reos coràm Domino existere.

26 Ergo si præputium. Præputium, id est, præputiatus, res pro persona, seu signum pro signato per metonymiam. Secundo loco propriè accipitur vocabulum præputij.

28 Non is qui in manifesto. Ex præcedentibus infert, seu potius ad comprobandum præcedentia subijcit, quibus in rebus verus Iudaismus & vera religio sita sit, nempe in spiritu & veritate. Cumque hic dicitur, Iudæum non esse Iudæum, circuncisionem non esse circuncisionẽ, figura est quam nostri Copulationem, Græci περιλοχὴν vocant, secundum quam posterius est descriptio prioris, quandoquidem in priore persona tantum significatur, in posteriore qualitas, & ea quæ personæ propriè conueniunt. Antitheses ritè expensæ obscuritatem omnem adimunt. Circuncisio nanque in manifesto, in carne, in litera, ex hominibus, opponitur circuncisioni in occulto, in corde, in spiritu, ex Deo.

1 Quid igitur habet. Occupatio. Quandoquidem præcedentibus verbis visus est Iudæos nihilo meliores constituere quàm Gentiles, & ipsam adeo circuncisionem æquare præputio, quasi

quasi circuncisio, lex, & si quæ eiusmodi prærogatiuæ nullius essent momenti, frustraq; à Deo institutæ: ideò nunc per occupationem quæ contra obiici poterant ipse profert ac diluit. Est autem hæc prima obiectio nomine Iudæorum proposita: Quid igitur habet &c. Respondet Apostolus ac fatetur magnum esse discrimen inter ipsos & gentiles, nempè quòd ipsi præcæteris sint electi in populum cui primum & principaliter concredita sunt oracula, promissiones de salute per Christum, fœdus, deindè et lex, quod verè magnum est & singulare. Quæ tamen responsio si bene aduertimus magis extollit Dei bonitatem quàm patrocinatur Iudæorum arrogantiæ. Neque enim aliquid præclarè actum ab illis significat, propter quod iusti reputarentur, sed tantum ipsos à Deo ingentia beneficia accepisse, ob quæ intelliguntur magis obstricti, ac iustius etiam posse rei peragi.

3 Quid enim si quidam. Alia occupatio. Quia Apostolus ausus est generaliter pronunciare omnes Iudæos per legis transgressionem Deum dehonestare, ideoq; circuncisionem ipsorum versam in præputium, dicturi erant quidam: Iniquè profectò facis ô Paule qui propter quosdam improbos Iudæos, protinus vis damnare vniuersos. An propter paucos tales suspi-

caris prorsus nullos extitisse qui promissionum diuinarum fructum sint consecuti? Existimas promissiones factas irritas? Respondet Apostolus. Concedo quòd plurimi consecuti sunt promissiones. Sed enim id factum, non quidem ob illorum dignitatem vel merita, verum propter spontaneam Dei bonitatem, qua is vult promissa præstare, etiam immerentibus & indignis. Sit, inquit, Deus verax, omnis autem homo mendax. Qua responsione iterum soli Deo tribuit gloriam, Iudæis vero vniuersam adimit, imò palàm adhuc obtinet eatenus esse reos, quatenus mendaces esse omnes vel scripturæ testimonio certum est.

4 Quemadmodum scriptum est. *Ne qui offenderentur tali responso, addit aliud scripturæ testimonium ex Psal. 51. Vbi clarè dicitur Deum esse in sermonibus suis iustum, & præstare promissa, etiam vbi homines, considerantes nimirum & confitentes suam indignitatem, iudicarent illum minimè id facturum. Siquidem eodem loco Dauid suam infirmitatem & vanitatem confitebatur, dicens: In te solum peccaui, & malum in oculis tuis feci, vt iustus sis in sermonibus tuis &c.*

5 Quòd si iniusticia nostra. *Digressio, non tamen abs re addita. Enimuero sapientis est ea tempestiue amoliri & confutare, quæ per*

maleuo-

maleuolos qui nihil non calumniantur, ex dictis eius colligi obyciq; possent. Apostolus igitur in persona talium statim producit grauissimũ quoddam inconueniens, quod ex proximis verbis quidam fortassis erant collecturi. Si ita est, nempe, quod fides Dei nequaquam irrita fit propter hominum incredulitatem, sed potius Deus sua ipsius caussa, vt nimirum semper iustus ac verax deprehendatur, implet promissa, etiam erga peccatores et immeritos, atque ita nostra iniusticia commmendat illustratq; iusticiam illius: sequitur planè Deum iniustum fore, si aliquando inducat iram, condemnet q; delinquentes. Dum nanque delinquunt, caussam præbent Deo, vt postea condonando ampliorem sibi paret gloriam. Respondet Paulus, negando consequutionem. Absit inquit. Neque directè diluit, sed tantum vicissim opponit rationem contrariam ab officio Dei. Dei est, inquit, iudicare mundum, quamobrem absurdum fuerit eum, quum res postulat, iram non inducere, & impossibile est iniustum dici.

7 Etenim si veritas Dei. *Rursus in persona impiorum aliud inconueniens adfert, in hanc sententiam. Si quanto ego sum mendacior & vanior per lapsum meum, tanto cognoscitur Deus veracior ac iustior, dum ipse mihi peccata propter suum sermonem condonat: sequitur quod nõ*

amplius sum iudicandus peccator, sed potius dum pecco, dicar bene agere, quia videlicet occasionē præbeo vt iusticia bonitasq; Dei, vbi ipse mihi condonauerit, reddatur illustrior. Bonum siquidem est procurare quod ad gloriæ eius incremētum facit. Hinc vero et tertium inconueniens mox subijcit, dicens in persona eorundem: Ergo faciamus mala vt veniant bona, nempe vt gloria Dei hac occasione illustretur. Ita nanq; tria allata sunt nomine calumniatorum incōuenientia. Primū quòd Deus foret iniustus: secundum, quòd peccans nō amplius esset dicendus peccator: tertium, quòd facere liceat mala, vt eo pacto bona proueniant. Proinde Apostolus breuissimè hic respondet: eorum qui sic loquuntur iustam esse damnationem. Ne hac quidem ratione directè dissoluit, sed tantum magno contemtu tam horrendas calumnias reycit, id quod sapientes in eiusmodi valde absurdis cauillationibus facere solent. Sunt autem paralogismi aduersariorum, quales Dialecticis dicuntur, secundùm non causſam vt causam. Vnde responderi posset ad duas posteriores obiectiones, peccatum non proprie quidem illustrare gloriam Dei, sed tantum per accidens, siue per occasionem: quemadmodum cùm dicitur bonas leges procreari ex malis moribus, id profecto non propriè & simpliciter, sed tantum per accidens ita

se

se habere intelligitur. Et nullus inde rectè colligeret, ideo videlicet strenuè peccandum, vt bonas leges condendi occasio præberetur. Hucusq; digressio.

9 Quid igitur? *Redit ad institutum, atque iterum vt initio capitis quæstionem proponit, statimq; respondet simpliciter negatiuè, quod videlicet Iudæi nulla in parte sint Gentilibus superiores. Cæterum quia videtur ista responsio negatiua planè pugnare cum priore affirmatiua, in qua Iudæis plurimum tribuerat: intelligas oportet Apostolum respondere per distinctionem, in hanc sententiam. Si consideramus Dei erga Iudæos beneficia & promissiones, multum excellunt: sin consideramus personas ipsorum & merita, prorsus sunt pares & iuxta peccatores. Eleganter vero vtitur communicatione, vtpote quæ mirificè conducit ad extorquendam ab alijs veri confessionem.*

10 Sicut scriptum est. *Quasi non satis esset propositionem supra probasse pluribus rationibus addit nunc eadem de re clarissima scripturæ testimonia, quibus pariter interna atque externa perstringuntur peccata, atque ita omnes apud Dei tribunal reì aguntur.*

19 Scimus autem. *Occupatiuncula. Excipere voluissent Iudæi ista testimonia de Gen-*

tilibus esse pronunciata, ad se vero minimè pertinere. Apostolus autem prouidè anteuertit, asseritq; ratione sumpta à proprio vsu scripturæ & legis, ad ipsos quoque spectare. Decebat sanè hoc pacto, in lege gloriantes, legis authoritate reprimere, & veluti proprio quod dicitur gladio iugulare.

VT omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo,

20 Propterea quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in cõspectu eius. Per legem enim agnitio peccati.

21 Nunc vero absque lege iustitia Dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis ac Prophetarum.

22 Iustitia vero Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes eos, qui credunt. Non enim est distinctio.

23 Omnes enim peccauerunt, ac destituuntur gloria Dei.

20 *Illatio seu conclusio ad vniuersam probatio-*

bationem quæ hucusque per distributionem tractata est. Posteaquam nanque clarissimè euicit, primum Gentiles in suis operibus deprehendi reos, deinde & Iudæos in operibus similiter deprehendi reos: ex his planè conficitur omnes homines si considerentur ipsorum opera, coràm Deo reos esse, ideóque fieri nullo modo posse, vt ex operibus iustificentur. Addit autem cùm de operibus generaliter loquitur, vocem, legis, haud dubiè magnà emphasi, ad significandum videlicet, quod ne excellentissima quidem opera, qualia erant illa diuinitus præcepta & lege comprehensa, vim iustificandi habeant. Atque hunc in modum sentire Apostolum, non tantum de ceremonijs, verum de vniuersis legis operibus, liquet ex ijs quæ paulo post cap. 3. 4. 5. 7. de vsu legis, déque exclusa gloria operum admixta cernuntur. Quod & D. Augustinus libro de spiritu & litera cap. 14. diligenter adnotauit, cui adstipulari tutum ducimus. Non omnis caro, pro nullo homine, more Hebræo.

Per legem enim. *Vt compescat Iudæos semper aliquid tacite obgannientes, adijcit breuem quandam rationem, quare ex operibus legis iustificari nemo queat, sumptam à principali legis vsu effectúque. Est enim sententia: Per legẽ*

non tolluntur peccata, sed tantum adducuntur homines ad peccatorum agnitionem, cum docentur in ea quid recte vel secus factum, quem in finem propriè lata est. De quo vsu legis iterum capite. 7.

21 Nunc vero absque lege. *Quandoquidem conclusum est, homines non iustificari operibus, iam prudenter colligit ac definit, necessum esse vt iustificentur fide. Aptissimè vero præsentis collectionis verba respondẽt verbis propositionis, quam initio totius disputationis audiuimus, vt nimirum semel institutæ argumentationis ratio tantò habeatur euidentior, quanto postrema cum primis pulchrius consentiunt. Sicut enim ibi, ita & hic, iusticiam Dei manifestatam ait in Euangelio absque operibus legis per fidem in Iesum Christum, & quidem super omnes qui credunt. Et quia semper diligentissimè expendenda venit nota vniuersalis, Ideo eam repetit atque exponit, dicens: Omnes esse peccatores, ac propter peccata destitutos gloria Dei, ideóque viam tantum omnibus restare viam, qua iustificentur, eam videlicet quam hic demonstrat.*

Dum comprobatur. *Tacite occurrit morosis Iudæis, qui nunquam non contendebant ac spargebant dogma hoc de iustificatione per fidem absque operibus, nouum esse, cum doctrina*

doctrina legis palam pugnãs, ideoq; merito ſuſpectum explodendumq;. Immo, inquit, in lege & Prophetis luculentiſſime comprobatur. Quod notum eſſe vult, partim ex ijs quæ dicta ſunt, partim ex ijs quæ ſequentur.

CONFIRMATIONIS
Pars altera.

24 IVSTIFICANTVR autem gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu,

25 Quem propoſuit Deus reconciliatorem, per fidem, interueniente ipſius ſanguine, ad oſtenſionem iuſticiæ ſuæ, propter remiſſionem præteritorũ peccatorum,

26 Quæ Deus tolerauit, ad oſtendendam iuſticiã ſuam, in præſenti tempore, in hoc, vt ipſe ſit iuſtus, & iuſtificãs eum, qui eſt ex fide Ieſu.

27 Vbi igitur gloriatio? Excluſa eſt. Per quam legem? Operum? Non, imò, per legem fidei.

Arbitramur igitur, fide iuſtificari hominem, abſque operibus legis.

29 An Iudæorum Deus tantum? An non & Gentium? Certe & Gentium.

30 Quandoquidem vnus Deus, qui iuſtificabit circunciſionem ex fide, & præputium per fidem.

31 Legem igitur irritam facimus per fidem? Abſit. Imo legem ſtabilimus.

24 Abſoluta eſt prior confirmationis pars, inq; ea abunde probatum, homines non poſſe iuſtificari operibus: ſequitur pars altera, in qua probandum reſtat, homines iuſtificari fide & abſque operibus. Prius autem quàm argumenta congerat, nonnulla de modo iuſtificationis per fidem præmittit, admodum profecto vtilia & neceſſaria, propter eos qui apud ſe vehementer mirabantur, nec intelligere ſatis valebant, qua ratione fieri poſſet, vt homines fide abſque operibus iuſtificarentur. Niſi enim hac de re in principio aliqua explicarentur, non poſſent auditores argumenta ſequentia vnquam aſſequi, multo minus ad aſſentiendum, per ea adducerentur. Quamobrem ſingu-

las

las particulas, quandoquidē cauſſæ ac modus iuſtificationis noſtræ clariſſimè in ijs delineantur, æquum eſt non oſcitanter expendamus. Iuſtificantur, inquit, gratis, hoc eſt, non propter vlla ſua opera, quàmlibet ſplendida: ſed, vt diſertè D. Ambroſius, nihil operantes, neq; vicem reddentes, ſola fide, dono Dei.

Per illius gratiam. *Interpretatur quomodo gratis, ſimulq; exprimit cauſſam efficientem principalem noſtræ iuſtificationis, ſolam videlicet Dei gratiam, fauorem, bonam voluntatem &c.*

Per redemptionem. *Dixerit forte aliquis. Adeo prorſus nihil fiet ad ſarciendum pro peccatis? Reſpondet. Immo eſt aliquis qui dependit & ſatisfacit, nempe, Chriſtus, is homines redimit. En cauſſa formalis noſtræ iuſtificationis, redemptio inquam, & ſatisfactio Chriſti. Elegans metaphora & ſimilitudo in voce, redemptionis, ducta à redemtione ciuili captiuorum vel ſeruorum.*

25 Quem propoſuit. *Quare id ita fit per Chriſtum ſine noſtra opera? Quia pater ab aterno decreuerat per hunc ſolum id debere perfici. Cum vocat Chriſtum ἱλαστήριον alludit ad legale propitiatorium, quod Chriſtum adumbrabat.*

Per fidem. *Quid autem requiritur ex parte*

noſtra, ſiue quomodo accommodatur nobis beneficium redemptionis ac reconciliationis? Per fidem.

Interueniente ipſius ſanguine. *Græcè eſt,* ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι *quaſi dicas: Per fidem in ſanguine ipſius, vel in ſanguinem potius. Si priori modo legas, habes cauſam formalem redemptionis, adeoq; precium depenſum. Sin poſteriore modo, habes quoddam fidei obiectum.*

Ad oſtenſionem iuſticiæ. *Cauſſa finalis Deum vel maxime mouens.*

Propter remiſſionem. *Interpretatur quomodo Deus oſtendat ſuam iuſticiam. Per remiſſionem, inquit, peccatorum, quam impendit, ſtare volens ſuis promiſſis. Vel, qua in re ſita ſit iuſtificatio noſtra, nempe in remiſſione peccatorum.*

26 Ad oſtendēdū iuſticiam. *Repetit cauſſam finalem. Enimuero hoc potiſſimum tot verbis Apoſtolus agit: conatur euidentiſſimè docere, quod gratis, nullis interuenientibus noſtris meritis iuſtificemur. Hæc de iuſtificationis modo & cauſſis multum proderit in præſenti delibaſſe.*

27 Vbi igitur gloriatio? *Quando ſatis apertè expoſuit, iuſtificari homines gratis per ſolam Dei bonitatem propter Chriſtum, oportunè exclamat magno adfectu contra inanem o-*

perum

perum fiduciã quæ iam penitus ſubuerſa agnoſcitur, Iudæos hand dubie ac omnes hypocritas obliquè impetens, quorum animis ea altiſſimè inſederat. In eandum ſentẽtiam legis Epheſi. 2. Nõ ex operibus, ne quis glorietur. Legem fidei videtur non propriè vocaſſe, ſed tantum propter decorum antitheſeſios.

28 Arbitramur igitur. *Repetitio propoſitionis principalis iam ſæpius audita, quæ tum quia præcedentibus verbis denuo non nihil eſt ſtabilita, tum quia nunc plura optimo ordine digeſta argumenta ſequuntur, merito iterum inculcatur.*

29 An Iudæorum Deus. *Sicut ſupra in cauſſa damnationis, ita nunc quoq; in cauſſa iuſtificationis, vniuerſalem particulam ſtudioſe vrget atque exponit: idq; ſimul quòd valde amplificat Dei iuſticiam ac bonitatem, ſimul quòd ad conſolationem omnium maximopere conducit.*

31 Legem igitur irritam. *Occupatio. Legem fidei oppoſuit & præpoſuit legi operum. Hinc protinus carnales Iudæi odioſe ratiocinabantur, legis dignitatem eiuſmodi aſſertionibus diminui, immo eam prorſus euerti. Reſpondet Apoſtolus, ſe legem nullo pacto euertere, ſed potius ſtabilire. Quod quidem ſatis eſt in præſenti dixiſſe, cum de vſu atque vniuerſa dignita-*

te legis decreuerit ſuo loco fuſius diſputare. Et reuera qui tantum arguit inanem ex operibus legis gloriationem, neque aliam interea doctrinam adſert quàm quæ lege ipſa & prophetis, vt dictum ſupra eſt, inuenitur comprobata, is profecto iniuria legem ſubuertere inſimulatur.

Cap. IIII.

QVid igitur dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem?

2 Nam ſi Abraham ex operibus iuſtificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum.

3 Quid enim ſcriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſticiam.

1 Sequuntur nunc ordine ſelecta aliquot argumenta efficaciſſimè probãtia homines fide iuſtificari. Ducuntur potiſſimum ab exemplo iuſtificationis Abrahæ, ex quo generaliter de omnium hominũ iuſtificatione certum iudicium petere promptum eſt. Ac primum quidem ſumitur à manifeſto ſcripturæ teſtimonio de modo iuſtificationis Abrahæ.

3 Scriptura, inquit, apertè dicit: Credidit Abra-

Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Gen. 15.

Igitur homines iustificantur fide.

Prius vero quàm producat hoc testimonium, propter insignes virtutes atque opera Abrahæ quæ Iudæi solebant mirificè prædicare, concedit etiam illi laudem & gloriam operum: sed ita vt simpliciter dicat apud Deum non posse consistere, hoc est, ad causam iustificationis coràm Deo nihil facere. Respicit proculdubio ad id quod paulo ante dixerat, exclusam omnem gloriationem. Sic interea orationis habitum componit Apostolus quasi perpetuò cũ Iudæis, quos cõstat pertinacissimè huic doctrinæ de iustificatione per fidem aduersatos, disputaret. Huc pertinet quod ait: Patrem nostrum secundùm carnem, tacite procul dubio Iudæos suos compellans.

4 Ei vero qui operatur, merces nõ imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.

5 Porro ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iusticiam.

4 Secundum argumentum fluens ex proximè adducto scripturæ testimonio, præcipue ex voce imputandi. Ex ea namq; Apostolus insti-

ficari homines gratis ac absque operibus, ita colligit:

Si iustitia esset ex operibus, non diceretur ea imputari secundum gratiam, sed potius reddi secundum deditum & pro mercede.

Atqui scriptura manifeste dicit iusticiam esse imputatam.

Igitur iusticia non propter opera, sed gratis confertur.

Si cui placet ipsa Pauli verba retinere, is ea hoc pacto in syllogismum dilucide constrinxerit.

Ei etiam qui non operatur sed credit in Deum iustificantem, fides gratis imputatur ad iusticiam.

Atqui non diceretur gratis imputari ad iusticiam si hoc operibus fuisset promeritus (tunc enim merces, seu debitum potius diceretur)

Ergo iustificatio non contingit ex operibus, sed gratis & secundum gratiam.

Maior ex superiori argumento manifesta est. Minor pendet ex obseruatione eius quod dicitur, fidem ad iusticiam imputari. Intueri inprimis oportet antitheses, operari & credere: deinde mercedem siue debitum quæ opponuntur imputationi. Quam ipsam vt gratuitam iuxta natiuam significationem verbi intelli-

telligeremus, prudenter addidit: ſecundum gratiam.

6 QVemadmodum & Dauid explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat iuſticiam abſque operibus.

7 Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata.

8 Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.

6 Tertium argumentum probans homines iuſtificari abſq; operibus, ſumptum ex interpretatione illorũ verborũ: imputatum eſt ad iuſticiam. Declarat enim Apoſtolus imputare ad iuſticiam, idem eſſe quod nõ imputare peccata, ſponte & gratis ea remittere, quod confirmat teſtimonio Pſal. 31.

Dauid definit, imputare ad iuſticiam ſeu iuſtificare idem eſſe quod remittere et non imputare peccata.

Remittere autem ſeu non imputare peccata, eſt ea gratis condonare, ſiue eſt gratis iuſtum cenſere.

Igitur iustificatio est gratuita & non sit propter opera.

Consulto inseruit Apostolus particulam: absque operibus, ea quippe euidentius exprimit, quid sit peccata non imputare. Vbi remittuntur, teguntur, & non imputantur peccata, argumentum est, ibi peccata existere, deinde pro illis haud satisfieri. Si enim satisfieret pro illis, nequaquam remitti seu non imputari dicerentur. Et profecto ita est. In foro cœlesti apud tribunal Dei vbi de iustificatione disceptatur, si peccata nobis velit Deus imputare, nulla de operibus, vt per ea pro peccatis satisfiat, exceptio locum habitura est.

9 Beatificatio igitur hæc, in circunciſionem tantum, an & in præputium deuenit? Dicimus enim, quod imputata fuerit Abrahæ fides ad iuſticiam.

10 Quomodo ergo imputata eſt? cum eſſet in circunciſione, an cum eſſet in præputio? Non in circunciſione, ſed in præputio.

11 Et ſignum accepit circunciſionis, ſignaculum iuſticiæ fidei, quæ fuerat

erat in præputio, vt esset pater omnium credentium per præputium, vt imputaretur & illis iusticia,

12 Et pater circuncisionis, ijs qui non solum genus ducerent à circuncisis, verum etiam ingrederentur vestigijs fidei, quæ fuit in præputio patris nostri Abrahæ.

9 Quartum argumentum deductum ex ratione temporis, vel potius ex ordine caussarum & effectuũ, idq; non citra præoccupationem tractatum. Enimuero Iudæi sentiebant neminẽ posse fieri participem spiritualium beneficiorum Euangelij, hoc est, neminẽ posse iustificari, nisi prius accepta saltem circuncisione per quam insereretur populo Dei, ad quẽ promissiones & beneficia per Christum allata peculiariter pertinebant. Ea accepta putabant idoneos factos ad beneficia spiritualia percipienda. Hoc autem si ita haberet, videretur iam iustificatio aliquo modo propter opera antecedentia, maxime propter circuncisionem, obtingere. Sed istam quoque opinionem euertit Apostolus, obseruata ratione temporis quo Abraham iustificatus est, et quo idem circuncisus. Quando, inquit, est Abrahã iustificatus? ante circuncisionem ne, an post? Constat aũt ex histo-

ria fidem imputatam esse Abrahæ ad iustitiam longe ante circuncisionem (ex Gen. 15. & 17. inuenies annos circiter 14.) Igitur iustificatio contingit fide absque operibus, etiam absque circuncisione. Ex consideratione ergo tēporis, necnon ordinis causarum & effectuum manifestum euadit argumentum. Cum enim causa prior esse debeat effectu, sanè si circuncisio existimanda esset causa iustificationis, debuisset illa hanc præire. Porro hic videre licet, quî factum quod vbi de iustificatione disputatur, tam in præsenti epistola quàm illa ad Gal. ceremonialium, maximeq; circuncisionis fiat mentio, nimirū non quod sola ceremonialia opera à iustificatione excludantur, vt multis persuasum est, sed quia Iudæi præterquàm quod vellent operibus legis iustitiam parari, vehementissime insuper vrgebant omnes qui promissionum Euangelicarū fieri vellent participes, prius circuncidi, atque ita populo Dei inseri. Apostolus vero clare docet exemplo Abrahæ, ne istud quidem esse factu necessariū, immo apertè euincit, iustificationis beneficium etiã præputiatis impendi, modo ad imitationem patris Abrahæ credant.

11 Et signum accepit. Alia occupatio, qua reddit caussam cur Abraham posteaquam fuerat iustificatus, circuncisionē adhuc receperit. Suspicabantur forte quidam, circuncisionem hanc,

hant, aut fuisse inanem & superuacaneam, aut superaddi debuisse tanquam necessariam ad iustificationem perficiendam. Definit autem Apostolus, neq; prorsus inanem fuisse, neque item additam ad iustificationis perfectionem: sed inductam tantum veluti signum obfirmans iustificationem iam ante ex fide perceptam, propemodum sicut arra dari solet ad obfirmandum pacta de quibus ante conuentum est. Circuncisio, inquit Ambrosius, nõ habet aliquid dignitatis, sed tantum signum est.

Vt esset pater. *Abraham iustificatus est adhuc in præputio, ergo etiam ad Gentiles præputiatos iustificationis beneficium pertinet: immo hi peræque sunt fily Abrahæ, atq; illi qui circunciduntur, modo fidem tanti patris (qualis ea erat in præputiato) referant. Artificiosa planè illatio.*

13 NOn enim per legem promissio contigit Abrahæ, aut semini eius, illum hæredem fore mundi sed per iusticiam fidei.

14 Etenim si ij, qui ad legem pertinent, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio.

15 Nam lex iram operatur. Siqui-

dem vbi non est lex, ibi nec transgressio est.

16 Idcirco ex fide datur hæreditas, vt secundum gratiam, vt firma sit promissio vniuerso semini.

Non ei quod est ex lege tantum, verũ etiam ei, quod est ex fide Abrahæ, qui est pater omnium nostrum.

17 Sicut scriptum est: Patrem multarum gentium constitui te, nimirum ad exemplum Dei, cui crediderat, qui vitæ restituit mortuos, ac vocat ea quæ non sunt, tanquam sint.

13 Quintum argumentum, quod licet paulo abstrusius videatur, tamen vt de sententia Apostoli clarè constet, spero, efficiemus.

Primò ponitur propositio. Promissiones non sunt exhibitæ Abrahamo aut posteris eius ratione legis per ipsos impletæ, sed quia iam ante erãt fide iustificati. Ratio propositionis ab inconuenientibus quæ aliàs sequuntur.

Nam si tunc tantum acciperentur promissiones, vbi plene seruata esset lex, profecto inanis esset fides, atque irrita fieret promissio: quæ duo supra modum absurdum fuerit asserere.

Proba-

Probatio à legis contrario effectu. Lex enim, quandoquidem nunquam à nobis exactè impletur, non inducit benedictionem, sed magis iram Dei & maledictionem.

Confirmatio à naturæ nostræ imbecillitate, & legis grauitate. Siquidem vbi lex est, ibi statim sequitur transgressio: vbi vero transgressio, merito etiam ira Dei sauit. Igitur lex iram Dei aduersum nos accendit.

Illatio. Igitur ex fide datur hæreditas, siue exhibentur promissiones, atq; vt secundùm gratiam, quo firma sit promissio.

Hæc est perspicua & minimè perplexa orationis Paulinæ dispositio. Quod si tamen lubet, summã argumentationis potes hunc in modum paucioribus comprehendere.

Vt accipiantur promissa bona spiritualia, oportet pariter promissiones esse certas ex parte Dei, & fidem esse certam ex parte hominis.

Atqui si promissa bona non acciperentur, nisi propter seruatam legem, neq; promissiones essent certæ ex parte Dei, neq; fides certa ex parte hominis.

Igitur necessario constituitur promissa bona spiritualia fide accipi, etiam citra obseruatæ legis conditionem, & absq; operibus.

Maior per seſe manifesta est. Minor probatur. Lex enim dum nunquam exacte à nobis

impletur, Deum iratum nobis reddit, atq; ita tã-tum abest, vt promissa bona conferat vt etiam immittat citius maledictionem. Quamobrem irrita fit eius promissio, nostra etiam fides inanis redditur. Animaduertis igitur præsens argumentum duci ab inconuenientibus quæ necessario sequerentur si non possent promissa bona, nisi lege per nos impleta, accipi.

Porrò appellatione, hæreditatis mundi, caue intelligas bona tantum temporalia (quæ certe non adeo ampla Abrahamo obtigere) sed magis accipe bona spiritualia, & benedictionem illam quæ obuenit propter semen benedictum, id est, Christum, ad quem vnum tanquam bonorum omnium colophona omnes promissiones ad patres factæ respiciebant.

16 Non ei quod est ex lege. *Iterum argutè, quemadmodum et in præcedenti argumento infert, promissiones ad Gentiles quoque pertinere, vtpote qui sunt verum semen Abrahæ, quãdiu fide eum referunt.*

Omnium nostrum. *Id est, etiam Gentium.*

17 Sicut scriptum est. *Probat pronunciato scripturæ quòd etiam Gentes sint filij Abrahæ. Vrget nanque vocem, Gentium, cui magna inest emphasis.*

Nimirum ad exemplum Dei. *Græcè est* κατέναντι, *quod Chrysostomo teste, idem quod* ὁμοίως,

ὁμοίως, similiter vel ad similitudinem. Vnde sententia erit. Abraham esse patrem omnium nostrum per fidem, ad similitudinem ipsius Dei qui est pater omnium per creationem. Sed quoniam eadem vox etiam significat ἐναντίον, id est, coràm, nonnulli malunt legere: coram Deo, quæ lectio aliquanto etiam plus perspicuitatis habet.

Qui vitæ restituit. *Obiectum fidei bonitas & potentia Dei, quibus fides mirabiliter intenditur. Oportune autem istud addit, quasi viam parans ad dicendum mox de fidei magnitudine atque excellentia. Caterum hic argumentorum probantium, quod fide ac gratis, absque operibus legis, homines iustificentur, finis est.*

18 QVi præter spem, sub spe credidit se fore patrem multarum gentium, iuxta id quod dictum est: Sic erit semen tuum.

19 Ac non infirmatus fide, haud considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, cum centum fere natus esset annos nec emortuam vuluam Saræ.

20 Verum ad promissionem Dei nõ

hæsitabat ob incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo,

21 Certa persuasione cõcepta, quod is qui promiserat, idem potens esset & præstare.

22 Quapropter etiam imputatum est illi ad iusticiam.

23 Non scriptum est autem propter illum tantum, imputatum fuisse illi,

24 Sed etiam propter nos, quibus imputatur, credentibus in eum, qui excitauit Iesum dominũ nostrum à mortuis,

25 Qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri.

18 Ne vero existimarent vlli fidem, cui hoc pacto iustificatio adiungitur, esse rem exiguam, leuem, & in qua nihil appareat cur Deus ipsam ita præoperibus eligat, placuit Apostolo naturam eius fidei, de qua hic disseritur, paulo pleniùs describere, necnon ostendere esse rem longe excellentiorem quàm vt facile quisquam decernat,

cernat, minimeq; mirum quòd Domino comprimis accepta sit. Hæret autem adhuc in exemplo Abrahæ, cuius profectò fides cum eminentissima extiterit, non abs re exempli vice proponitur. Cum autem dicitur: præter spem, egregia est descriptio per amplificationem, ab impossibili secundùm humanam rationem. Propriè enim fides est de ijs quæ non apparent, quæq; nullo modo iudicarentur speranda. Hebræ. vndecimo.

Iuxta id quod dictum. *Fides, de qua omnis hic sermo instituitur, non est simplex agnitio historiæ, sed vehemens assensus, & omnino certa fiducia, de promissa à Deo misericordia propter Christum obtinenda.*

19 Ac non infirmatus fide. *Exponit quomodo præter spem crediderit, eiusmodi commemorando circumstantias, ob quas dubitare & à credendo impediri potuisset.*

20 Sed robustus. *Antithesis, amplitudinem fidei Abrahæ & totam adeo naturã fidei iustificantis clarissimè delineans. Viden iterum fidem ad promissiones respicere?*

Tribuens gloriam Deo. *Officium siue effectus veræ fidei. Neq; enim fides ociosa est.*

22 Quapropter etiam. *Illatio, Q.d. Quia igitur tam insignis & excellens res fuit fides illa Abrahæ, placuit Deo eam ad*

iustitiam imputare. Particula διὸ respicit ad omnia quæ de fidei præstantia iam commemorata sunt.

23 Non scriptum est. *Postquàm satis luculenter probauit, quomodo homo iustificetur per fidem, absq; operibus, adductis validissimis argumentis ab exemplo Abrahæ: peroportunè accommodat eundem iustificationis modum & nobis, vt certi simus, nos quoq; eadem prorsus ratione, & non alia apud Deum iustificandos. In hunc enim finem extare in sacris literis talem iustificationis formam descriptam. Quæ ratio sumitur à proprio vsu & fine sacrarũ literarum, de quo cap. 15. præsentis Epistolæ 1. Corinth. 10. 2. Timoth. 3.*

24 Qui excitauit Iesum. *Tum vt constanter expectemus nos quoque per fidem fore iustificandos, tum vt in fide roboremur, obiter nonnulla attexit. Quorum primum quidem est de potentia Dei in quam fides omni tempore debet intentissimè respicere, vbi ait: qui excitauit Iesum &c. alterum est de iustificationis nostræ caussa, cũ dicit: qui traditus fuit &c. Quod si accurate consideauerimus, quanta sit Dei potentia, deinde quantas res Christus nostri caussa peregerit, profectò de iustificatione nostra per fidem absque operibus, minus dubitabimus,*

Cap.

Cap. V.

1 IVSTIFICATI igitur ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,

2 Per quem & contigit nobis, vt fide perduceremur in gratiam hanc, in qua ſtamus & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei.

3 Nec id ſolum, verumetiam gloriamur ſuper afflictionibus, ſcientes quod afflictio patientiam pariat,

4 Patientia vero probationem, probatio autem ſpem.

Concluſio totius confirmationis, in qua, quemadmodum fieri ſolet in longioribus diſputationibus, propoſitio principalis repetitur, præterea breuiter indicantur præclari quidam effectus qui iuſtificationem per fidem comitantur, & fidei dignitatem non parum illuſtrant, vt profecto ad eam magnifaciendum, necnon multo auidiſſimè amplectendum, excitari inde omnes poſſint.

1 Pacem habemus. *Primus effectus admodum insignis, & qualis per obseruationem legis haberi nunquam queat.*

Per quem. *Christus non tantum author siue causa principalis nostræ iustificationis & pacis, verum etiam ipsius fidei nostræ, vt necessum sit omnia ad vnum Christum referre, & nihil prorsus nobis nostrisue meritis liceat tribuere. Idq; ne quis glorietur.*

2 Et gloriamur sub spe. *Alius effectus, in quo mirabilis vis fidei, & maxima certitudo accipiendi res promissas exprimitur. Sentẽtia nanq; est: adeo certam, confirmatamq; esse nobis spem percipiendæ futuræ gloriæ, vt de hac etiam gloriemur, tanquam si ammodo felicissime eam essemus adepti.*

3 Nec id solum. *Amplificatio per correctionem. Q.d. Atque ita quidem gloriamur in certissima hac spe accipiendi gloriam à Deo promissam, vt etiã in aduersis quæ obueniunt, quæq; viderentur à spe nos posse abducere, constantes semper maneamus.*

Scientes quod adflictio. *Ratio ab adflictionũ vsu siue effectibus, per gradationẽ. Emphasis est in voce:* εἰδότες *scientes. Atq; hæc quidem de cõfirmatione, quam rerum pariter ac selectorum verborum longè ditissimam nemo non deprehendit.*

CON-

CONFVTATIO.

5 PORRO ſpes non pudefacit, quod dilectio Dei effuſa ſit in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

6 Chriſtus enim cum adhuc eſſemus infirmi, iuxta temporis rationem, pro impijs mortuus eſt:

7 Nam vix pro iuſto quiſquam morietur. Siquidem pro bono forſitan aliquis etiam mori ſuſtinet.

8 Commendat autem ſuam charitatem erga nos Deus, quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus fuit.

9 Multo igitur magis iuſtificati nūc ſanguine eius, ſeruabimur per eum ab ira.

10 Nam ſi cum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, ſeruabimur per vitam ipſius.

11 Non ſolum autē hoc, verumeti-

am gloriantes in Deo, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem aſſecuti ſumus.

5 Sequitur nunc non minus elegans quàm grauis ac docta confutatio, in quâ, quemadmodum receptum eſt fieri in omnibus difficilioribus diſputationibus, nonnulla quæ contra ea quæ de modo iuſtificationis hominum per fidem huc vſque dicta ſunt, obijci poterant, perſpicuè diluuntur. Etſi vero obiectiones quædam non adeo apertè exprimuntur, tamen cuiuſmodi eæ fuerint ex Apoſtoli ſententijs haud difficile erit colligere.

Prima igitur obiectio quæ hic diluitur, ſic ferè ſe habet. Quum proximis verbis de effectibus iuſtificationis per fidem, dictum ſit, eos qui iuſtificati ſunt per fidem, habere inprimis pacem cum Deo, quin etiam gloriari ſub ſpe gloriæ promiſſæ, hinc ſtatim naſcuntur in multorum animis iſtiuſmodi dubitationes: Quomodo, inquiunt, poteſtis certi eſſe quòd pacem cum Deo habeatis, iſq; vobis non amplius iraſcatur, cum tamen eum ſæpenumero grauiſſimè offenderetis, neque interea vlla ratione ſatis pro reatu veſtro feceritis? Et vndenam, obſecro, tam indubitatam

ja obiect.

tam ſpem gloriæ concipitis, adeoq; ob eam ammodo gloriamini, qui nullis veſtris virtutibus eam eſtis promeriti? Reſpondet Apoſtolus ad vtranq; dubitationem. Atque ad priorem quidem, cui plus ineſſe videtur difficultatis, hunc in modum: Spes, inquit, noſtra nullo modo confunditur, & omnino certiſſimi ſumus quòd Deũ placatum habemus. Id autem non propter qualitatem aliquam vel virtutem in nobis, ſed tantum propter incomparabilem ipſius Dei erga nos charitatem. Grauis omnino, atque immobili veritatis fundamento nixa ratio, ideoq; iuſta trutina expendenda. Dilectionẽ Dei hoc loco illam debere intelligi, qua ipſe nos tenerrimè diligit, palàm fit ex ſequentibus, vbi dicitur: Deum ſuam ergo nos charitatem commendare.

Per ſpiritum ſanctum. *Quod autem certum ſit nos à Deo maximè diligi, duabus probat validiſſimis rationibus. Altera ab effectu ſiue ſigno præſenti, nempe quòd Deus dederit nobis ſpiritum ſanctum qui eſt tanquàm ἀρραβὼν gloriæ & hæreditatis accipiendæ. Epheſ. 1. Niſi quis malit probationem eſſe à teſtimonio ſpiritus ſancti, qui in cordibus noſtris vnà cum ſpiritu noſtro teſtatur quòd Deus nos verè diligat tanquam chariſſimos filios. Qua de re iterum capite octauo.*

6 Chriſtus enim cùm adhuc. *Altera*

probatio ab effectu siue signo antecedenti, in hanc sententiam.

Deus vnicum filium suum Christum tradidit in mortem pro nobis etiam impijs adhuc & peccatoribus.

Igitur palàm est quòd nos maximè diligat.

Quo autem argumento charitatem suam magis testatam quis faciat, quàm filium vnicum quem æquè aut plus atq; seipsum diligit, obijciendo morti pro alijs?

7 Nam vix pro iusto. *Amplificatio charitatis Dei ab eo quod etiam pro impijs & peccatoribus filium in mortem tradiderit, quando bonarum omnium iudicio multò reuera maximum foret beneficium, si vel pro iustis tantundem quis facere dignaretur.*

9 Multo igitur magis. *Illatio principalis à minori ad maius. Q.d. Si Deus tantopere nos dilexit adhuc impios & iniustos, vt videlicet filium suum vnigenitum dederit, atq; ita in gratiam nos receperit: quanto magis nunc diliget nos iam pios & iustificatos? Igitur certissimi omnino sumus quòd Deus nos vehementer diligat, & bonam pacem cum eo habeamus.*

10 Nam si cùm inimici. *Expositio illationis per amplificationem ex collatione vitæ & mortis Christi. Latent q̃ hic si penitius singula introspi-*

trospicimus, duo aptissima enthymemata. Prius. Si seruati sumus & reconciliati cùm essemus inimici: quanto magis iam post reconciliationem factis amici seruabimur? Secundum. Deinde si illud factum est per Christi mortem, quid non fiat nunc per eiusdem vitam? In priore enthymemate prompta ad benè merendum voluntas, in posteriore facultas ostenditur.

11 Non solum autem hoc. Secunda illatio referenda ad posteriorē dubitationem de gloriatione super spe gloriæ promissæ. Quæ nullas habet annexas nouas rationes, quandoquidem ex præcedentibus, è quibus fluit, satis manifesta euadit. Quando nanque compertū habemus Christum nostri caussa in mortem traditum, deinde accepimus iam spiritum sanctum tanquā arrabonem futuræ gloriæ, quomodo possimus diffidere de reliqua gloria promissa accipienda? & cur non liceat super eiusmodi spe gloriari, quando non minus certi sumus de ea accipienda, atq; si nunc ammodo adepti eam essemus? Deus propter suam immensam erga nos charitatem certissimè præstabit, quicquid semel est pollicitus. Hæc diuina constitutio nunquam fallit.

12 Propterea, quemadmodum per vnum hominem peccatum

in mundum introijt, ac per peccatum mors: & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus.

13 Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo. Porro peccatum nō imputatur cum non est lex.

14 Imo regnauit mors ab Adam, vsque ad Mosen, in eos quoque, qui non peccauerant, ad similitudinem transgressionis Adam, qui typum gerit illius futuri.

15 At non vt peccatum, ita & donum. Nam si vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum, per gratiam, quæ fuit vnius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit.

16 Et non sicut per vnum, qui peccauerat, venerat mors, ita donum. Nam condemnatio quidem ex vno delicto, ad condemnationem, donum autem ex multis delictis, ad iustificationem.

17 Ete-

17 Etenim si per vnius delictũ mors regnauit per vnum, multo magis hi qui exuberãtiam gratiæ & doni iusticiæ accipiunt, per vitam regnabunt, authore vno Iesu Christo.

18 Itaque sicut per vnius delictum, propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem, ita & per vnius iustificationem propagatur bonũ in omnes homines, ad iustificationem vitæ.

19 Quemadmodum enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti fuimus multi, ita per obedientiam vnius, iusti constituentur multi.

20 Cæterum lex obiter subijt vt abundaret delictum. Vbi vero exuberauit peccatum, ibi magis exuberauit gratia,

21 Vt quemadmodum regnauerat peccatum in morte, sic & gratia regnaret per iusticiam ad vitam æternam per Iesum Christum.

12 *Secunda obiectio principalis diluitur, quã huiusmodi fuisse oportet intelligamus. Vbi hactenus de modo iustificationis nostræ disputatũ est, illud primo atq; vltimo loco inculcari audiuimus, quòd propter Christum tanquam caussam primariam donetur nobis iusticia, isq; præordinatus sit à patre noster reconciliator, qui & sanguine suo pro peccatis nostris satisfaceret. Hinc vero statim oritur grauis & difficilis quæstio.* 2. obiect. *Quomodo potest fieri, vt quia Christus mortuus est, tu propter eum iustificeris? Dabimus quidem illum ob immeritam & spontaneam suam mortem, iusticiæ laudem maximã esse consecutum: sed enim vt propterea ad te quoque eadem laus redeat, & propter iusticiam illius, tu qui peccator es & iniustus, iustus habearis, id saltè alienissimũ ab omni æquitate est. Iusticia illius nequaquam absterget tuæ iniusticiæ maculam, certè nouam in te iusticiam haud constituet. Oportet tuis proprijs virtutibus iusticiam promerearis, non alienis. Procul dubio ista obiectio sæpe audiebatur, & multos valde commouebat vt planè suspicarentur fieri haud posse, vt propter iusticiam vnius Christi, alij homines iusti reputarentur. Apostolus autem sapientissimè respondet, ratione sumpta à pari. Quemadmodum, inquit, per vnum hominem peccatum in mun-*

mundum introijt ac per peccatum mors, & per illum vnum factum vt cæteri quoque peccarint, atque ita in mortem inciderint: sic per vnum hominem iusticia allata est in mundum ac per iusticiam vita æterna, necnon per hunc vnum factũ vt multi quoque alij iusti fiant & vitam æternã consequantur. Hæc est simplex & nihil intricatũ habens Apostoli sententia, qua quæ difficillima apparebat obiectio, quàm facilimè diluitur. Eandemq; sententiam ipse pluribus verbis toto hoc capite exponit, subinde nonnulla quæ rursus opponi à non rectè intelligentibus poterant, sapienter diluens. Vnde factum quod locus plus habere obscuritatis quàm reuera habet, videatur. Nos vt dilucidior euadat, per singulas eundo partes explicabimus. Ait igitur: Propterea quemadmodum per vnum hominem &c. ἀνανταπόδοτον *est, siue* ἀνακολούθ*ον. Desideratur nanque alterum collationis cœptæ membrum, quòd fortassis quadam adfectus vehementia ab Apostolo est omissum. Nos quidem apertè, fideliter, addam & crasse nostro more, sarciuimus quod deerat. Quòd si tamen absolutam sententiam audire aues ex ore ipsius Apostoli, præsenti periodo adnecte quæ paulo post sequuntur hisce verbis: Itaque sicut per vnius delictum &c. ad illum vsque locum: Cæterum lex obiter subijt. Ista hunc in*

modum connexa perſpicuam tibi ſententiam exhibent.

13 Vſque ad legem. *Probatio quòd peccatum ſemper fuerit in mundo à tempore primi parentis Adæ, quam ſcita diſtributione proſequitur. Duo enim conſtituit tempora, alterum ante legem, alterũ poſt legem: atque in vtroque peccatum inualuiſſe luculenter demonſtrat. Quod igitur ad prius tempus attinet, ſimpliciter pronunciat ſeu definit, toto eo vſq; ad datam legem fuiſſe peccatum in vniuerſo mundo.*

Porrò peccatum non. *Obiectiuncula nomine aduerſarij cuiuſpiam contendentis, ante promulgatam legem non fuiſſe in mundo peccatum, ideoq; minimè verum, quòd per primum parentem omnes in peccatum pertracti ſint. Siquidem vbi non erat lex, inquit aduerſarius, nec tranſgreſſio ſiue peccatum. Quam rationẽ cap. 4. ſemel audiuimus.*

14 Immo regnauit mors. *Reſpondet Apoſtolus, adferendo effectum pro demonſtratione cauſſa. q. d. Mors regnauit ab Adam vſque ad Moſen, igitur & peccatum per vniuerſum illud tempus in mundo erat. Siquidem peccatum cauſſa mortis eſt, quemadmodum proximis verbis ſemel definiuit. Non parum auget peccati vim cùm ait, mortem planè regnaſſe.*

In eos quoque qui non. *Clarius amplificat vim*

vim peccati, ab eo quòd rei facti sunt etiam illi qui non peccauerãt transgrediendo eo modo quo transgressus est Adam. Cuiusmodi intelligentur, tum infantes, qui iudicio arbitrijq́, vsu sufficienti nondum fuerunt præditi, tum illi, quibus nulla de voluntate Dei expressa lex, quemadmodum Adæ fuit proposita, sed tantum occulto proprius conscientiæ instituto ac moderamine regebantur. In quos omnes dum mors grassata est, conficitur sanè & peccato fuisse obnoxios. Quãquam mea sententia hæc clausula potius tacitè suggerit, cùm de iusticia à Christo in nos exuberante agitur, statuere nos debere, eos quoque iustos coràm Deo reputari, qui neqnaquam ad similitudinem Christi iustè quicquam egerunt. Cuius sanè contentionis seu antitheseos, si quid ego iudicare possum, diligens habenda est ratio. Vehementer enim Dei bonitatem extollit.

Qui typum gerit. *Sapienter istud adijcit, vt nimirum comparatio Christi & Adæ, necnon factorum vtriusque quam instituit, commodius procedat, magisq́, apta responsio principalis postea colligatur. Nam manca profecto responsio Apostoli quæ mox sequitur, apparebit, nisi Adam gessisse hac in parte typum Christi, prius concessum fuerit. Caterum si oculatè intendimus, gessit Adam typum Christi, non quidẽ*

simpliciter, sed potius contraria quadam ratione. Quemadmodum nanque Adæ peccatum, causſa fuit condemnationis omnium nostrum, ita ex aduerſo iuſticia Chriſti cauſſa eſt iuſtificationis omnium noſtrum. Nota eſt regula: In rebus quæ τυπικῶς conferuntur, nequaquam omnia ad amuſſim debere eſſe paria, ſufficere aliquam in ijs ſimilitudinem cauſſæ, qua de ſermo ſuſcipitur, congruentem. Immo & diſſimilitudinis inueſtigatio frequenter magnam habet gratiam, nec parum illuſtrat vbi tempeſtiuè adhibetur.

15 At non vt peccatum. *Neque iſtud ab Apoſtolo præteriri ſilentio potuiſſet. Admodum conuenit præſenti inſtituto. Eſt nanque perelegans correctio, ſeu potius occupatio, qua anteuertit, quod ab alio quopiam proponi potuiſſe ſuſpicabatur. Dixiſſet enim fortè aliquis, non videri ſatis idoneum firmamentum allatum de exemplo peccati Adæ & iuſticiæ Chriſti. Neq; enim parem eſſe rationem peccati Adæ & iuſticiæ Chriſti. Et haud probabile eadem facilitate poſſe multos per vnius iuſticiam erigi, qua priùs multi ſunt per vnius peccatum deiecti. Huiuſmodi inquam cauillum Apoſtolus calumniatori præripit, atque ipſe quidem ſponte fatetur non eſſe omnino parem peccati & iuſticiæ rationem. Quin addit etiam duo manifeſta diſcrimi-*

na,

na, quamuis longè alia quàm aduersarius cauillator expectasset, vtpote quæ ad rẽ vehementer conferunt, necnon clarè euincunt, gratiam seu iusticiam Christi ad iustificationem nostram abunde sufficere. Ex quibus posteà nullo negocio expediet quod ad responsionem principalem pertinet. Primum igitur discrimen est huiusmodi, nempe quòd iusticia Christi, siue gratia per Christum allata plus possit efficere ad hominum iustificationem quàm peccatum Adæ valuerit ad eorundem condemnationem. Quod discrimen haud leue est, & iusticiam Christi mirificè extollit. Neq; vero enunciat istud simpliciter, verum adiũgit interim caussam aliquam ex qua intelligi clarè queat iusticiam Christi meritò præualere. Ea caussa, est gratia Dei. Quam sanè omnia posse, vbicunq; cooperatur, extra controuersiam est. Porrò apparet etiam aliquo modo discrimẽ hic notari, ex collatione personarum Christi & Adæ. Cum enim longè excellentior persona sit Christus quàm fuerit Adam, sequitur protinus illius iusticiam plus omnino posse ad iustificationem, quàm huius peccatum ad condemnationem. A præstantioribus caussis præstãtiores effectus prouenire, æquũ est statuamus.

16 Et non sicut per vnum. Alterum discrimen inter peccatum Adæ & iusticiam siue gratiam Christi, sumptum à collatione effectuum.

Ex vno peccato vnius Adæ secuta est mors & condemnatio: ex gratia vero seu ex dono vnius Christi, secuta est vita ac iustificatio, & quidem non tantum contra vnum peccatum, verumetiam contra peccata vniuersa. Qua ratione iterum gratia Christi enadit superior. In græco est est eclipsis. Deest nanq; quod interpres suppleuit, videlicet: Venerat mors.

17 Etenim si per vnius. *Illatio, qua manifestè concluditur iusticiam seu gratiam Christi multò eminentiorem esse & plus posse quàm peccatum Adæ. Ratio quidem collationis ita postulasset dici: Si igitur per vnius delictum mors regnauit per vnum Adamum, multo magis per vnius iusticiam vita regnabit per vnum Christum: sed maluit Apostolus paululum mutare orationis schema, & quadã amplificationis forma ad ipsos iustificatos, gratiæ Dei participes, regnandi potestatem ac ius transferre. Nam hoc pacto effectus beneficij Christi maximopere illustratur.*

18 Itaque sicut per vnius. *Quando iam palàm est Adamum gessisse typum Christi, præterea gratiam per Christum allatam omnino plus posse ad iustificationem, quàm potuerit peccatum per Adam inuectum ad condemnationem: aptè nunc perficit Apostolus sententiam principalem, quam initio imperfectam reliquerat, atque*

que perſpicuè ſuccinctèq; aduerſariorum inſidioſiſſimæ obiectioni ſatisfacit. Neque habitura erat vires iſta reſponſio, niſi prius illa quæ præceſſerunt fuiſſent ad eum modum ſatis explanata.

20 Cæterum lex obiter. *Supra cœpit Apoſtolus probare quod peccatum ſemper fuerit in mundo à tempore primi parentis: & ad id perficiendum conſtituit, vt diximus, duo tempora, alterum ante legem, alterum poſt legem. Quodq; ante legem peccatum fuerit in mundo ibi manifeſtum reddidit. Nunc vero aſſerit peccatum etiam poſt legem fuiſſe in mundo. Lex, inquit, ſubijt vt abundaret delictum. Q. d. Poſtquam lex lata eſt, magis quàm antea peccatum inualuit. Quod vt per ſe ſatis notum, pluribus non declarat. Semel autem dictum eſt, quòd lex iram operatur, & vbi lex eſt, ibi ſequi tranſgreſſionem, ibi peccatũ imputari. Repeti inſuper poſſit, quòd mors æquè regnarit poſt legem, atq; ante legem. Ex quibus omnibus palàm fit etiam poſt legem, peccatum in mundo fuiſſe. Sed & quomodo peccatum per legem abundet, viresq; ſumat, cap. 7. aperietur.*

Vbi vero exuberauit. *Repetitio ſententiæ principalis paulo ante pluribus verbis expoſitæ, in qua breuiter potentiæ peccati per legem auctæ, opponit maiorem potentiam gratiæ ſeu iuſti-*

cia per Christum allatæ: vt decernere cuiuis procliue sit illam quidem non tantum valuisse ad hominum condemnationem, quin ista longe plus valeat ad hominum iustificationem. Dignum animaduersione est particulam, vt, ἵνα, singularem habere emphasin, notareq; causam siue finem, perinde ac si diceretur: propterea factum, quòd adeo inualuerit vis peccati, vt nimirum postea diuina gratia, abolendo tantam peccati vim, liberandoq; homines ab eius iugo, tanto magis innotesceret, illustriorq; redderetur. Prodest istud obseruare propter sequentia. Relinquitur ergo in summa nos debere pro certo statuere, quòd propter iusticiã Christi, nos quoq; iusti apud Deum reputemur, idq; eadem prorsus ratione, qua propter peccatũ Adæ vniuersum genus humanum in peccatum & mortem detrusum fuerat.

Cap. VI.

QVid igitur dicemus? manebimus in peccato vt gratia abundet?

2 Absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo post hac viuemus in eodem?

3 An ignoratis, quod quicunque

que baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius baptizati ſumus.

4 Sepulti igitur ſumus vna cum illo per baptiſmum in mortem, vt quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

5 Nam ſi inſititij facti ſumus illi per ſimilitudinem mortis eius, nimirum & reſurrectionis participes erimus.

6 Illud ſcientes quod vetus ille noſter homo cũ illo crucifixus eſt, vt aboleretur corpus peccati, vt poſthac non ſeruiamus peccato.

7 Etenim qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt a peccato.

8 Quod ſi mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quod & viuemus cum illo.

9 Scientes, quod Chriſtus excitatus a mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur.

10 Nam quod mortuus fuit, peccato

mortuus fuit ſemel, quod autem viuit, viuit Deo.

11 Ita & vos reputate voſipſos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo per Chriſtum Ieſum dominũ noſtrum.

12 Ne regnet igitur peccatum in mortali veſtro corpore, vt obediatis illi per cupiditates eius.

13 Neque accommodetis membra veſtra, arma iniuſticiæ peccato, ſed accommodetis voſmetipſos Deo, velut ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſticiæ Deo.

14 Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.

1 Tertia obiectio principalis quam ex iis quæ de excellentia gratiæ præ peccato hactenus pulcherrima oratione expoſita ſunt, carnales homines (qui ſemper auidiſſimè arripiunt, ſi quid vſpiam ad patrocinandum ſuæ libidini quoquo modo idoneum dictum factumúe occurrerit) colligebant. Si ita res ſe habet, inquiunt, vt gratia Dei

ſiue

sine iustitia Christi semper longe efficacior sit ad iustificandum, quàm peccatũ est ad damnandũ: & quo magis regnat peccatum, eo rursus magis regnat seseq́ exerit Dei gratia: videtur sanè liberè nos posse deinceps peccare, hac nimirum fretos fiducia, quòd nunquam tam multa aut tam horrenda peccata queant per nos committi, quin per prapotentẽ illam gratiã Dei rursus facile ea eluantur, necnon iustitia Christi nobis statim accommodetur. Nostra tempestate eadem apud morosos Sophistas, qui è contentionum Scoticarum caligine oculos ad fulgorem & solem veritatis nunquam possunt attollere, auditur querela. Caussantur grauissimè peccare eos qui gratuitã Dei misericordiam vehunt laudibus, clamantq́, hac ratione fenestram aperiri ad liberius peccandum. Agite vero, inquam, D. Paulum audite respondentem.

2 Absit. Qui mortui. *Respondet Apostolus negando consequentiam, atque addit rationem à positione contrarij, quasi hoc modo ratiocinaretur.*

Non potest fieri, vt qui peccato mortui sunt, in eodem simul viuant.

Sed omnes qui in Christum credunt, peccato sunt mortui.

Igitur qui in Christum credunt, in peccato nõ possunt viuere.

Maiorem

Maiorem concedet quicunq; naturam priuatiuè oppositorum agnoscit. Minorem probat ab effectu seu significatione baptismi, quando subijcit: An ignoratis &c. Quicunq; baptizamur, inquit, participes efficimur mortis Christi.

Sed Christus moriens, moriebatur peccato.

Igitur nos quoq; per baptismum mortui sumus peccato.

Id autem si datur, consentaneũ est nos peccato haud posse viuere. Ac verũ etiam est nos in baptismo mori peccato, & peccatũ mori nobis, quandoquidem in baptismo omnia remittuntur peccata, præterea datur spiritus sanctus, per quem vires peccati & concupiscentiæ etiam in posterum valide reprimuntur.

4 Sepulti igitur sumus. *Illatio, quòd videlicet peccatis, exemplo Christi, simus mortui. Sed huic illationi protinus annectit per contrarium, aliud argumentum de reuiuiscendo, nimirum ad exemplum Christi, iusticiæ. Quod & indiuulsè connectit præcedenti, vt intelligant omnes nouam vitam in iusticia proprium esse præuntis mortificationis finem.*

5 Nam si insititij. *Ratio seu confirmatio proximi argumenti à simili, per quod euidenter probat nos, si similes facti sumus Christo in morte, similes etiam ei fieri debere in noua vita. Magna vis est in eleganti metaphora seu similitudine*

litudine quam mutuatur ex re rustica, quaquè hanc parit sententiam. Quemadmodum tener surculus vim quandam singularem recipit ab arbore cui inseritur: ita & nos qui per baptismum Christo inserimur, vim mortis ac resurrectionis eius participamus. Quamobrem cum illo, uti primum peccatis mori, ita deinde ad nouam vitam iterum resurgere nos oportet. Quæ in Christo capite peracta sunt, eadem prope omnia in membris quoquè conuenit perfici, idq; aut spiritualiter, aut corporaliter, interdum utroq; modo simul.

6 Illud scientes. *Plenius exponit confirmatq; quæ de moriendo peccatis, atque iterũ viuendo iustitiæ dici cœpta sunt. Ac primo quidem nos debere esse mortuos peccatis, duabus euincit rationibus. Altera ab effectu & causa finali mortis Christi. Ait enim omnibus abunde constare (emphasis est in voce: scientes) hunc esse proprium mortis Christi effectum & finem, quod videlicet peccatum per eam sit abolitum, idq; vt non amplius ei seruiamus. Hunc porrò effectum & hanc causſam videtur contemnere ac uelle euertere, quisquis post semel acceptam propter Christum peccatorum remissionem, iterum ad ea intendit redire. Igitur peccato par est mortui maneamus. Vet° homo, vita est in peccatis & peccatorum sordibus ante nostram in*

baptismo regenerationem & renouationem miserè transacta. Corpus peccati significat, vniuersam multitudinem, omnia membra, adeoq; integram naturam & vim peccatorum. Atque illum quidem dicit in Christo crucifixum, istud vero abolitum, istiusmodi allegorijs declarare haud dubiè cupiens, per mortem Christi in cruce, peccata omnia esse sufficienter remissa, deletaq;.

7 Etenim qui mortuus. *Altera ratio per similitudinem de seruitute ciuili quæ morte finitur. Sententia namque est. Sicut qui ciuiliter seruus est morte interueniente liberatur à seruitute eius cui obstrictus fuerat: ita nos quondam spiritualiter serui peccati, posteaquam semel sumus in baptismo vnà cum Christo mortui, non amplius peccato seruire debemus. Iustificatus à peccato, id est, iustè absolutus à seruitute atque omni peccato.*

8 Quòd si mortui sumus. *Iam de altero mẽbro, quod videlicet viuere debeamus iusticiæ.*

9 Scientes quod Christus. *Christus non amplius moritur, sed semper viuit, & quidem Deo: ad eundem modum & nos decet perpetuò viuere iusticiæ ac Deo, nec amplius recidere in peccatum, ob quod denuo foret moriendum, seu per quod rursus mortem incurreremus.*

11 Ita & vos reputate. *Conclusio in qua exem-*

exemplum tã mortis quàm reminiſcentiæ Chriſti nobis accõmodat, & ad imitationem eſſe propoſitum aſſerit. Studioſe autem attexit cauſſam per quam ſit vt peccato mori & iuſticiæ viuere queamus, quando ait: Per Ieſum Chriſtum. Nam propter hunc vnum clementiſſimus pater nobis donat omnia.

12 Ne regnet igitur. *Argumentis quibus probatum eſt omnes qui baptizati ſunt mortuos eſſe peccatis, & ſoli viuere deinceps debere iuſticiæ: ſubijcit exhortationem qua monet, diligenter vt id faciant. Comprimis elegans eſt, quod ponit totum corpus, deinde membra. Quin etiam cum vocat corpus mortale, ſaluberrimam ſuggerit omnium animis cogitationem de effectu peccati, id eſt, morte, cuius aſſidua contemplatio à peccando deterrere queat. Sunt & iocundæ metaphoræ in vocibus, regnandi, & armorum quæ potentiam ac tyrannidẽ peccati prope ad vinum delineant. Latet inſuper ratio ſuaſoria, ab æquo ſeu iuſto, vbi dicitur: Velut ex mortuis viuentes. Sententia enim eſt. Profitemini vos vnà cum Chriſto peccatis mortuos, & cum eodem iterum nouæ vitæ reſtitutos: quare æquiſſimum eſt ſoli iuſticiæ deinceps viuendo veſtræ conemini reſpondere profeſſioni.*

14 Peccatum enim vobis. *Alia ratio ſuaſoria, quam interim apparet additam quadam*

forma occupationis. Pij enim questuri forte erant, se multas adhuc sentire peccati molestias, difficiliméque posse sic se totos accommodare iusticiæ, quin subinde in peccatum impingant. Respondet Apostolus: bono interea sint animo: vtcunq; peccato vexentur, non tamen id posse ipsis dominari, atque ad damnationem protrahere.

Non enim estis sub lege. *Ratio quare peccatum neque dominari neque damnare pios possit. Quia inquit, non amplius estis sub lege per quam vis peccati augetur & damnatio accersitur, sed sub gratia per quam vis peccati quamlibet magna reprimitur tollitur q; & iusticia impenditur. Fluit hæc ratio ex eo quod supra dictum est, per legem abundasse & vires sumpsisse peccatum, verum vbi exuberauit peccatum ibi vicissim magis exuberasse gratiam. Vnde vt breuissime complectar, horum verborum sensus est: per exuberantem in nos Christi gratiam, posse, seruari nos, ne peccatum nobis dominetur. Quod sanè ijs qui tantum sub lege agunt, & gratia hac sunt destituti, haud contingit.*

15 Quid igitur? Peccabimus, quod non simus sub lege, sed sub gratia? Absit.

16 An

16 An nescitis, quod cui accommodatis vosipsos seruos ad obediendum, eius serui estis, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iusticiam?

17 Gratia autẽ Deo, quod fuistis quidem serui peccati, sed obedistis ex animo, in eam, in quam traducti estis, formam doctrinæ.

18 Cæterum liberati a peccato, serui facti estis iusticiæ.

19 Humanum quiddam dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Quemadmodum enim præbuistis membra vestra serua immũdiciæ & iniquitati, ad aliam atque aliam iniquitatem, sic & nunc præbete membra vestra serua iusticiæ, ad sanctificationem.

20 Cum enim serui essetis peccati, liberi eratis iusticiæ.

21 Quem igitur fructum habebatis tunc in his, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors.

22 Nunc vero manumissi à peccato,

ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem autem vitam æternam.

23 Etenim autoramenta peccati, mors: donum autem Dei, vita æterna, per Chriſtum Ieſum dominum noſtrum.

Cap. VII.

AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quod lex tantiſper dominetur homini, quoad ea vixerit?

2 Nam viro obnoxia mulier, viuenti viro alligata eſt per legem. Quod ſi mortuus fuerit vir, liberata eſt a lege viri.

3 Proinde viuente viro adultera iudicabitur, ſi ſe iunxerit alteri viro. Sin autem mortuus fuerit vir, liberata eſt a iure viri, vt non ſit adultera, ſi iuncta fuerit alteri viro.

4 Itaque fratres mei, vos quoque mortificati eſtis legi per corpus Chriſti,

sti, vt iungeremini alteri, nimirum ei qui ex mortuis surrexit, vt fructificemus Deo.

5 Cum enim essemus in carne, affectus peccatorum, qui sunt per legem, vigebant in membris nostris, ad fructificandum morti.

6 Nunc autem liberati sumus a lege, mortui ei, in qua detinebamur, vt seruiamus per nouitatem spiritus & non per vetustatẽ literæ.

15 Quarta obiectio, quam apparet similiter per illud hominum genus quod ferè semper in deteriorem interpretatur partem, quicquid vspiam à pijs doctoribus vel modestissimè & saluberrimè proponitur, ex proximis verbis quibus dictum est, pios non esse sub lege sed sub gratia, detortam depromptamq;. Sic autem verisimile est ratiocinatos. Si non amplius sumus sub lege, neque tanta potest per legem esse vis peccati ad nos damnandum, quin longe validior sit ex aduerso vis gratiæ per Christum allatæ ad nos iustificandum, impune profecto legem contemnemus, necnon omni eius studio ac reuerentia postposita, licebit quicquid lubuerit designare. Hoc

vero quis adeo cæcus, qui non videat supra modum detestabile exhorrendumq́? Si bene perpendimus, non ita multum discriminis est inter hanc obiectionem & illam quam initio præsentis capitis audiuimus. Sed tamẽ peropportunè ea etiam huiusmodi forma in medium producitur, tum quod admodum probabile, hoc reuera pacto in animos maleuolorum incurrisse, tum quod aditum facit ad plenius de lege eiusq́ vsu disputandum. Quam quidem disputationem de lege in præsenti caussa de iustificatione per fidem absque legis operibus, omnino perneccessarium erat interserere.

16 Absit. An nescitis. *Respondet Apostolus negatiuè, atq́ iterum addit rationem à positione contrarij, adhibita similitudine de seruitute ciuili, in hanc sententiam.*

Ei debet vnusquisq́ obedire cui sese seruum addicit, siue peccato se accommodet à quo consequitur mortem, siue iusticiæ à qua consequitur vitam.

Sed per gratiam Dei licet vos antea seruieritis peccato, nunc tamen (quando nimirum semel estis ab eius iugo liberati) accommodastis siue addixistis vos seruos iusticiæ.

Igitur iusticiæ debetis deinceps perpetuò obedire.

Quæ cum ita se habent, certè licet sub gratia

sitis,

sitis, & non sub lege: nullo tamen modo peccare vobis liberum est. Hæc est perspicua ratio, de qua quinis optime potest iudicare, cùm notissimum sit obligari ad seruitutem qui se ipse obstrinxerit, & fieri haud posse vt quispiam simul seruiat duobus dominis inuicem aduersantibus, quales rectè dici possunt iusticia & peccatũ, Christus & Belial. Antitheta per nos crassius & ad captũ rudiorum simplicius reddita orationem clariorem efficiunt.

19 Humanum quiddam. προεπίπλῆξις *siue correctio, qua mollit quod dixerat, seruos factos. Ait enim se tantum docendi caussa, & pro captu infirmorum vti similitudine sumpta à rebus ciuilibus. Subuerebatur forte Romanis per ea tempora rerum dominis inuisum fore seruitutis vocabulum.*

Quemadmodum enim. *Quemadmodum præcedenti obiectione tertia, ita & in hac, postquam satis dissoluit quæ obijciebantur, attexit exhortationem, vt studeant deinceps iusticiæ semper seruire. Perstat autem in adducta similitudine. Vides præterea iterum loqui de membris. Antitheta quidem non sunt ab Apostolo appositè satis (nostro, inquam, loquendi more) collocata, sed quinis nullo negocio potest substituere.*

20 Cùm enim serui essetis. *Rationes suaso-*

riæ à diuersis effectibus siue præmijs seruitutis peccati, & seruitutis iusticiæ. Sententia autẽ est. Cùm adhuc seruiretis peccato, tũc nequaquã seruiebatis iusticiæ, sed liberi hac in parte eratis. Sed quem illo tempore, continue seruiendo peccato, referebatis fructum? Nempe, mortem ac damnationem æternam.

23 Etenim autoramenta. *Repetit effectus siue præmia, vt quilibet, dum ea audit, diligentissimè secum expendat, vtri è duobus, iusticiæ ne an peccato, seruire malit.*

Per Christum Iesum. *Caussam & authorẽ gratiæ ac vitæ æternæ nusquam omittit prædicare, vt nimirum Deo sua semper reddatur gloria, nobis verò nostrisue meritis nihil, supra quam par est, tribuatur.*

1 An ignoratis fratres. *Obiectioni est satisfactum, ac reddita sufficiens ratio, quare credentibus non liceat peccare, etiam si non sint sub lege: nunc docebit quomodo intelligi conueniat, credentes non esse sub lege. Nam id fortasse obscurè adhuc inuolutéque dictum videri alicui poterat. Istud autem eodem propè modo facit, quo in superiori obiectione tertia demonstrauit, credentes non debere in peccato manere. Quemadmodum enim ibi dixerat, non posse ad peccata redire quòd peccato essent mortui et soli iusticiæ deberent viuere: ita hic ait,*

creden-

credentes non esse sub lege, quòd ei quoque sint mortui, & soli Christo coniuncti. Sic igitur argumentatur.

Lex non dominatur ijs qui sunt mortui.
Sed vos estis legi mortui.
Igitur lex vobis non dominatur & sub lege non estis.

Maiorem licet non admodum dubiam ipse mox probat confirmatq;. Minor præsumitur nota ex præcedentibus. Aduerte interea, quod secundùm interpretis nostri versionem, in maiore quidem agitur de vita siue morte ipsius legis: in minore, de morte ipsius hominis, vnde paulò intricatior prodit oratio. Sed scire oportet in maiore apud Græcos tantũ haberi ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ quasi simpliciter dicatur, quanto tempore vixerit, quod profecto de homine aquè commode ac de lege accipitur. Quocirca & Ioannes Chrysostomus de homine rectè ac propriè interpretatus est.

2 Nam viro obnoxia. *Probatio maioris à similitudine de re coniugali, eáque ex ipsa lege Mosaica, propter maiorẽ authoritatẽ deprõpta. Quod adnotãdum duximus, tum quia in propositione dixit se loqui ad eos qui legem sciebant, tum quia nequaquam apud omnes gentes idem ius coniugale ratum erat.*

4 Itaque fratres mei. *Minor propositio*

expressa.

Per corpus Christi. *Forma seu causſa efficiens mortificationis nostræ, mors videlicet Christi quam in corpore pertulit. Non dissimili forma in obiectione tertia asſeruit, nos mortuos cum Christo & consepultos cum Christo. Ex his itaq; perspicuè conficitur: Mortui sumus cum Christo, igitur lex non amplius nobis dominatur.*

Vt iungeremini alteri. *Quandoquidē vero constat nos mortuos esse legi, iam annectit atque infert per cōtrarium, viuere nos debere deinceps cū Christo tanquam nouo marito. Decet hoc loco respicere ad id quod in probatione maioris dicebatur: Vbi mortuus fuerit vir, liberatam tunc protinus fore à lege viri mulierem, & posse sine crimine iungi alteri. Hinc etenim iā colligit. Postquam mortua est nobis lex, conuenit vt alteri, nempe Christo, adiungamur. Obseruanda est hic modica immutatio, nimirum vbi ante agebatur de morte hominis, hic agi, vice versa, de morte ipsius legis.*

Vt fructificemus Deo. *Causa finalis siue effectus nouæ coniunctionis cum Christo. Mortui sumus legi, siue lex mortua est nobis, adiuncti deinde sumus Christo: id vero non vt ociemur aut licenter viuamus, sed vt pias actiones quam plurimas, quasi fructus, imò quasi liberos,*

sedulo

sedulo proferamus ac gignamus. Non dubium quin dum vtitur voce καρποφορεῖν *ad similitudinem de re coniugali respiciat, simulq́ tacitè alludat ad primarium coniugij finem, sobolis videlicet procreationem. Porrò caussam istam finalem, siue effectum noui coniugij spiritualis ita oportet te accipere, vt cogites reuera vno verbo per eam indicare quod in tota responsione principaliter spectandum venit, quodq́ caussæ qua de agitur caput ac summa est. Apertè enim significat Apostolus non ita intelligendum esse quòd pij non sint sub lege, quasi in totum absoluti forent à legis obedientia atque officia charitatis qualia lege præscribuntur præstare amplius non deberent, sed potius è diuerso exigi ab eis vt maiori quàm antea fide ac diligentia ea quæ legis sunt faciant: non quidem propter imperium legis quasi huic seruiliter essent obstricti, verum propter dignitatem noui mariti Christi, cui iam arctissimè sunt copulati. Cui profecto quicunque sunt semel desponsi, affectantq́ cauere modis omnibus ne repudij caussam subministrent, hos necessum est pijs sanctisq́ actionibus fidem suam coniugalem quoad vixerint contestari.*

5 Cum enim essemus. *Confirmatio quòd eos qui adiuncti sunt Christo, nunc magis deceat bene agere, quàm antea cum adhuc legi adhæ-*

rerent, sumpta ab eo quòd non tantum maiorem quàm ante ad bene agendum occasionem, verum etiam validius adminiculum nacti sint. Habent nanque præstantiorem maritum Christum, donati sunt insuper propter maritum spiritu sancto, qui sine intermissione ad optima quæq; non tam impellit, quàm etiam officiosè cooperatur. Illustrat autem hanc confirmationem artificiosa cõparatio eius adminiculi, quod credentibus iam obtigit propter Christum, cum eo quod ante habuerant per legem. Vnde hæc est verborũ Apostolicorum sententia. Antehac cùm essemus in carne, destituti in vniuersum Dei spiritu, soli legi quasi marito adhærentes, videbamur quidẽ per legem ad bene agendum vehementer excitari: atqui sentiebamus interea prauos adfectus peccati in vniuerso corpore, omnibusq; sensibus nostris vim suam mirabiliter exerentes, qui occasione legis quam videbant seuerissimè prohibere quod ipsi maxime expetebant, ferociores etiamnum redditi sunt: vnde factum vt egre quidem aliud potuerimus quàm peccare & morti assiduè fructificare. At vero nũc postea quam mortuus est maritus lex, atque adiuncti sumus alteri longè præstantiori, nempe Christo, donati insuper propter hunc spiritu sancto, certè is spiritus corda nostra atque affectus omni tempore ad bona opera magis quàm vlla possit lex, instigat,

præ-

præterea & vires ad perficiendum ea potenter addit augetq3. Quæ cùm ita se habent, iustissimum planè fuerit, nunc præstantiores actiones, vberioresq3 vitæ fructus quàm prius in nobis cõspiciebãtur, producamus. Aduerte adfectus peccati per legẽ esse, vegetioresq3 reddi, propterea quod peruersi adfectꝰ nostri quanto seuerius cernunt aliquid lege prohiberi, tanto ardentius adspirant ad id designandum. Id quod vatem illum ethnicum non latebat qui cecinit:

Nitimur in vetitum semper cupimusq3 negata.

Vbi itaque eo pacto adfectus, propter legem, vehementissimè irritantur, sanè tantum abest, vt lex ad benè agendum conferat aliquod adiumentum, vt magis etiam videatur impedire, atque in diuersum propellere. Caue autem, quando ita loquimur, suspiceris peccata vigere, aut vires sumere per legem simpliciter, cum id tantum fiat per occasionem siue per accidens. Qua de re post pauca fusius luculentiusq3, vbi de vsu legis disputabitur. Iam è diuerso spiritus sanctus propter Christum collatus, corruptos nostros adfectus reprimit, cicurat, immutat, ad virtutes amandas paulatim inducit, denique nos totos succedente tempore innouat, atque alios prorsus reddit. Eam ob rem attexit Apostolus illud de nouitate spiritus. Siquidem per spiritum innouatio nostra perficitur, ad Tit. 3. Por-

rò nouitati ſpiritus, ſtatim opponit, quemadmodum ſolet alioquin antithetis mirificè delectari, vetuſtatem literæ, legis nimirum imbecillitatem inſinuans, vtpote quæ vetuſtis tabulis tantum deſcripta extat, in cordibus autem inſtar ſpiritus ſancti efficere nihil valet. Qua etiam ratione 2. Corin. 3. eadem appellatur adminiſtratio mortis in literis, deformata in ſaxis. Relinquitur ergo credentes, non eſſe quidem amplius ſub lege, quippe qui iam copulati ſint vni Chriſto, & tamen propterea neuti quam poſſe licenter pro libidine viuere, quinimò eo magis ad bene agendum obſtringi, quo præſtantiorem nunc nacti ſunt Dominum Chriſtum, quóque præſentius habent adminiculum, opitulantem videlicet ſpiritum ſanctum. Hæc interpretatio nihil habet perplexitatis, per omnia conſentit cum cauſſa quæ agitur, pluribus præterea ſcripturæ locis ſtabilitur. Veluti cap. 8. vbi dicitur ſpiritum adiuuare noſtrã infirmitatem necnon de viuendo ſecundum ſpiritum pluſcula exponuntur. Item 2. Corinth. 3. Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. 1. Timoth. 1. Iuſto non eſt lex poſita. Hoc ſiquidem pij potiſſimum diſtant à cæteris, quòd pij ſolo ſpiritus ſancti ductu & ſponte bonis incumbunt actionibus, cæteri tantum puerili aut ſeruili metu legis.

7 Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset: Non concupisces.

8 Sed occasione accepta, peccatum per præceptum genuit in me omnem concupiscentiam. Siquidem absque lege, peccatum erat mortuum.

9 Ego autẽ viuebam sine lege quondam. Porro veniente mandato, peccatum reuixit,

10 Ego vero mortuus sum. Et repertum est mandatum, quod institutum erat ad vitam, mihi cedere ad mortem.

11 Nam peccatum, occasione accepta, per præceptum, decepit me, & per illud occidit.

12 Itaque lex ipsa quidem sancta, & præceptum sanctum ac iustum & bonum.

13 Ergo quod bonum erat, mihi factum est mors? Absit. Imo peccatum.

Vt appareret peccatum, per id, quod erat bonum, mihi gignere mortem, vt fieret maiorem in modum peccans peccatum per præceptum.

14 Scimus enim, quod lex ſpiritualis eſt, at ego carnalis ſum, venditus ſub peccatum.

15 Quod enim ago, non probo. Nõ enim quod volo, hoc facio, ſed quod odi, hoc ago.

16 Si vero, quod non volo, hoc facio, conſentio legi, quod bona ſit.

17 Nunc autem non iam ego perpetro illud, ſed inhabitans in me peccatum.

18 Noui enim, quod non habitet in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Nam velle, adeſt mihi, at vt faciam bonum, non reperio.

19 Non enim quod volo, facio, bonum, ſed quod non volo malum, hoc ago.

20 Porro ſi quod non volo ego, hoc facio, nõ iam ego perpetro illud, ſed inhabi-

habitans in me peccatum.

21 Reperio igitur per legem, volenti mihi facere bonum, quod mihi malum adiunctum sit.

22 Delectat enim me lex Dei secũdum internum hominem.

23 Sed video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.

24 Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore, morti obnoxio?

25 Gratias ago Deo per Iesum Christum dominũ nostrum. Itaque idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne vero legi peccati.

7 *Quinta obiectio instituta ad paulo plenius disputandum de lege eiusq; vsu. Quam disputationem adijcere operæ erat precium ob plures caussas. Vbi.n.toties dictum est, homines nequaquam per legem, siue per legis opera iustificari, sed per fidem etiam absque operibus legis: nostrã*

insuper iustitiam nihil ad iustificationem coram Deo facere, sed tantum valere iustitiam Christi quæ nobis accommodatur atque imputatur: præterea per legem abundare peccatum, & credentes non esse sub lege, per legem adfectus peccatorum vires sumere seu vegetari: profecto ex his omnibus statim nascebantur multæ & graues de lege in animis auditorum dubitationes, ac mouebantur procul dubio non pauci, etiam probi & modesti homines ad rogandum: quare lex fuerit data, si nihil prodest ad iustificationem? an nullus sit eius vsus? an non amplius obstringantur credentes ad eius obedientiã? an sit caussa peccati? & si quid aliud eius generis in mentem venire poterat. Quidigitur ad tales quæstiones, si proponantur, respondre debeat, noluit Apostolus diutius premere. Est autem præsens obiectio tali verborum contexta enunciata, vt ad proximè antecedentia respicere videatur: quomodo etiam reliquæ obiectiones ferè omnes sunt è proxime positis verbis deductæ, & arctissimè antecedentibus copulatæ. Hæc ergo est præsentis obiectionis summa: Quãdo ita dicis ô Paule, credentes non amplius esse sub lege, vt qui à spiritu abunde doceantur excitenturq; ad bene agendum, deinde adfectus peccatorum per legem esse ac vegetari, videtur profecto ex his sequi, quòd lex sit inutilis & super

vacanea,

vacanea, immo quòd nobis sit causſa peccati, necnon ad peccandum inducat, atque ita etiam noxia ac damnosa. Quod quidem vel animo concepisſe grande nephas fuerit. Certum vero est multos huiusmodi cogitationibus seſe anxie torsisſe, ac reuera non parua difficultas in obiectione ista latet.

Absit. Sed peccatum. *Negat quòd lex sit inutilis aut superuacanea, simulq; exponit quis fuerit proprius legis vsus, seu quare lex data. Data est, inquit, vt ex ea disceremus quid secũdum voluntatem Dei facere oporteat vel vitare. Quod reuera præclarum munus est, atque in communi hominum vita maximopere necessarium.*

Nam & concupiſcentiam. *Probatio quòd per legem paretur peccati cognitio. Sapienter vero delegit exemplum de concupiſcentia. Siquidem perpaucis, qui modo legem non audierãt, persuasum erat concupiſcentiam prauosq; animi adfectus inter peccata recenseri. Nec minoris sapientiæ est, quòd de persona sua loquitur. Testatur nanque se quod dicit expertum, atq; ita melius fidem facit. Quin etiam tacitè ab vnoquoq; exigit, vt similiter propriæ conscientiæ iudicium hac de re consulat.*

Sed occasione accepta. *Addit qua ratione per legem adfectus peccati excitentur, & quo-*

modo lex videatur cauſſa peccati. Ac videtur vti diſtinctione, tanquam ſi diceret: Legem quidem per ſe & ſimpliciter eſſe bonam, vtpote per quam adducamur in cognitionem voluntatis diuinæ: verum per occaſionem ſiue per accidens poſſe fieri, vt malialiquid ab ea naſcatur. Quod tamen vbi fit, legi minimè poterit imputari, ſed potius peruerſæ noſtræ naturæ ſemper ad malum pronæ, & in vetitum nitenti. Lex, inquit, per ſe bona eſt, quandoquidem oppido ſalutarem adfert diuinæ voluntatis cognitionem: veruntamen per occaſionem, peccatum, id eſt, ingenita noſtra peruerſitas, per præceptum, hoc eſt, cognitione præcepti aliquo modo excitata atque irritata, gignit in nobis omnem concupiſcentiam, magis magisq; accendit animos ad peccandum. Nos in hanc ſententiam paulo ante nonnulla retulimus, quæ ſupernacaneum foret nunc repetere. Porrò dum hac ratione cauſſam omnis mali transfert, ſicuti & par eſt, in viciatam noſtram naturam, quilibet animaduertit quàm egregiè legis dignitatem tueatur.

8 Siquidem abſque lege. *Eleganti hypotypoſi ſumpta à propria experientia, exponit quomodo peccatum occaſione accepta per præceptum gignat in nobis omnem concupiſcentiam. Abſque lege, inquit, peccatum erat mortuum. Hoc eſt: vbi nulla eſt legis cognitio, nullaúe legis obſer-*

obseruandæ cura, ibi peccatum nequaquam arguitur, non agnoscitur pro peccato quod peccatum est, adeoq; minus etiam incitantur adfectus ad id designandum.

9 Ego autem viuebam. *Confirmatio à propria experiẽtia. Q.d. Vbi enim ego ipse vixi aliquando quasi securus & Epicuræus non admodũ solicitus quid lex præciperet vel vetaret, tũc reuera minus sensi me ad committendum aliquid contra legem extimulari.*

Porrò veniente mandato. *Id est. Ast vbi cœpi de salute mea cogitans ad legem me conuertere, atque in ea didici cõcupiscentiam, similiter multa alia esse peccata quæ antea eiusmodi esse minime perpendebam: tunc primum sensi mè ad peccandum maxime incitari, pranis adfectibus vndecunq; ferocissime ad res prohibitas expetendas impellentibus. Ego vero mortuus sum: id est, assentiendo pranis illis adfectibus & peccando, in mortem spiritualem incidi. Ecce igitur, quomodo peccatum occasione accepta per præceptum gignit omnem concupiscentiam. Et reuera experitur vnusquisque apud se se, dum securè viuit, non admodum de lege Domini solicitus, minores tum occurrere tentationes atque æstus: verum vbi accedit cogitatio de salute & studium sic agendi, ne vlla ex parte Dominus offendatur, hic primum validissimè insurgunt*

hostes spirituales, hic caro sive peccatum, mundus, satanas, mille modis miseros impetunt, vt adigendo ad diuinæ legis transgressionem, in peccatum, & per peccatum in mortem detrudant. Certum est, quicunque in vera pietate & spiritualibus exercitijs aliquantum promouerunt, ij de istiusmodi asperrimis certaminibus possunt rectè iudicare, atq; præsentis hypotyposeos germanum sensum plene assequuntur.

10 Et repertum est. *Conclusio per distinctionem. Quasi d. Hac ratione deprehensum est quòd lex eiusq; cognitio, quæ ad bonum & vitam pie sancteq; formandam erat propriè instituta, mihi ad malum cesserit. Non tamen quòd lex per sese mihi sit mali caussa, sed tantum per occasionem, dum videlicet peruersa mea natura, quod videt lege prohiberi, ad id perficiendum sine intermissione flagrat proruitq;. Eleganter ait: Decepit me. Mentis nostræ prauitas sic in transuersum rapit atque excæcat nos, vt mala esse quæ mala sunt, difficulter cernamus. Et non prius intelligimus damna ex peccatis prouenientia, quàm ea stolidè perpetrauerimus atque iram Dei cruciatibus impendentem sentimus.*

12 Itaque lex ipsa. *Illatio principalis de lege, qua ex iis quæ dicta sunt clare definit, quòd lex nullo modo peccatum sive peccati caussa sit,*

sed verè bona ac sancta, ad veram sanctimoniam quæ Deo approbatur nos manu ducens. Ex quibus iam satis intelligitur, nõ absurde dictum, sanctos non esse sub lege: & nihilominus suam legi dignitatem manere incolumem, quandoquidẽ ea propter valde vtiles & necessarias causas data agnoscitur.

13 Ergo quod bonum erat. *Verum enimuero in quorundã animis adhuc hærere poterat istiusmodi scrupus, nempe, quòd lex, quamuis nõ esset caussa peccati, at videretur nihilominus caussa existere mortis siue condemnationis nostræ, idq; eo magis quòd non nisi ratione legis minus obseruatæ contra nos damnationis feratur sententia, præterea quòd Apostolus ipse iãiam dixerit: quod institutum erat ad vitam, cessisse id sibi ad mortem, & peccatum per legem occidisse. Quod igitur obijci ab alio quopiam hac de re posse præuidebat, ipse per occupationem suis verbis proponit dicens: Ergo quod bonum &c.*

Immo peccatum, vt appareret. *Respondet legem nullo modo esse caussam mortis, sed peccatum, id est, corruptam nostram naturam & prauos adfectus esse qui eam nobis adferunt. Hi enim sunt iurati hostes legis, & quanquam videant ad salutem esse propositam, præterea nos libenter velle ei adharere, tamen vt sunt in-*

placabili in eam accensi odio, vndecunque possunt nobis insultant, nos ab ea alienant, suadent modis omnibus contra eam quiduis audeamus, denique quo seuerius vident per eam quippiam prohiberi, eo irritant nos pertinacius ad id efficiendum. Ad eum modum praui adfectus, arrepta occasione ex legis præcepto, nos seducunt atq; in discrimen pertrahunt. In quod ideo laborant multo diligentissimè, vt hoc præclaro scilicet facinore suam egregie ostentent in nos potentiam, videantúrque quasi regnum contra legem Dei obtinere. Itaque palàm fit, magnitudinẽ ac vim peccati in nobis agentis, caussam mortis existere. Non malè meo iudicio verba Apostoli, hoc pacto conuerterentur: Immo peccatum vt appareret peccatum, per bonum operatur mihi mortem, vt fiat insignitè peccans peccatum per præceptum. Cæterum quo Apostoli sententia, quæ plærisque videtur admodum obscura, & multo adhuc obscurioribus enarrationibus inuoluitur, expeditius ab omnibus percipiatur: placet hic docendi caussa instituere προσωποποιίας, hoc est, personas quasdam confingere, ex quarum proprijs actionibus quicquid hic de lege Dei, de lege peccati, de lege mentis, de lege membrorum, deq; earundem viribus occurrerit, planum statim fiet. Enimuero quòd si cui lubeat penitius examinare singula, inueniet Apostolum idem hic facli-

tasse.

taſſe. An enim non ſunt manifeſtæ proſopopœiæ vbi ait, peccatum decipere, occidere, velle videri peccatum, velle excellenter vires ſuas exerere, item venundatum ſub peccati iure agere, legem membrorum pugnare cum lege mentis? Conſtituatur ergo primum perſona peccati ex vna parte, tãquam imperator quiſpiam quærens quàm plurimos ad ſe pertrahere, qui quidem diu blandum & ſuauem ſeſe fingit, promittit etiam opima in ſpeciem ſtipendia, reuera autem poſt exantlatos labores confert luctuoſam mortem. Ex altera parte, alia perſona, Lex Dei, ſimiliter eximius imperator, ſed qui paulò apparet aſperior, horridior, atque inciuilior, nihilominus multò honeſtiſſima atq; vtiliſſima tandem reddit præmia, nempe vitam. Hinc medius collocetur homo, cui neceſſitas omnino incumbit, vt alteri ex his imperatoribus ſeſe addicat. Porrò in homine conſideretur adhuc duplex vis ſiue facultas, altera carnis, quæ eſt per carnalem generationem adiuncta, & congenita: altera ſpiritus quam in regeneratione primum accepit: quarum, illa quidem ſemper magis propendet homo in partem peccati, iſta vero dirigitur quantum fieri poteſt ad partem legis Dei. Iam ergo peccatum hominẽ hũc in medio valde anxium & perplexũ, aſſidue mirabiliq; aſtu ſolicitat vt ad ſe deficiat, ſub ſuis ſignis ditia ſcilicet factur⁹ ſtipẽ-

dia. Atque ad hanc rem multa interim valde odiosè, plæraque etiam falsò conficta contra legem Dei commemorat, quibus sperat carnẽ quæ in homine est, posse ad assentiendum citò commoueri. Contra, Lex nequaquã pari iastu, sed simpliciore quodam modo conatur ad se quoq; pellicere, & spiritum alteram in homine partem non contemnẽdis promissis ad sequendũ inuitat. Quid autem fiat? Dum potentissimi duo imperatores continuè instant, duæ illæ vires in homine, caro inquam & spiritus inter se consultant ecquid facto opus sit. Validæ rationes vtrinque in medium adferuntur, quibus altera alteram conatur superare, mordaciter sese mutuo impetunt, lacessunt q;, donec etiam ad apertas rixas & pugnas tandem venitur. Quid multa? Post diuturnũ & atrox inter eas certamen, caro tandem præualet, atque oppresso penitus spiritu, miserum hominem transire in castra peccati cogit. Hic vero dum aliquandiu militat, & subinde varia edit contra legem facinora, incidit postremo in exitiũ & calamitosam mortem, præmium videlicet se dignum accipiens. Iam igitur in tali successu, cui obsecro veniet mors hominis imputanda? legi ne an peccato? Omnes haud dubie magno consensu pronunciabunt, hosti peccato, qui incredibili ardens legis odio, & contra eam multa machinãs, miserum fraudulenter circumuenit, atq;

in

in discrimen inenitabile æternumq; coniecit. Porrò ex hac personarum fictione confido clarè deprehensum iri, quid Apostolus sibi velit, & quomodo verum sit, peccatum occasione legis infelicem hominem dolose in mortem pertrahere: quinetiam lucem non mediocrem accessuram arbitror cæteris quæ toto hoc capite sequuntur. Neque poterit quispiam iure cauillari, aliquid absurde à nobis hic esse constitutum, cùm Apostolus ad eundem prorsus modum quadruplicem legem post pauca introducat. Vnam quidẽ Dei, alteram peccati: deinde in homine rursus duplicem legem, vnam mentis, membrorum alteram, è quibus illa lubentissimè consentit legi Dei, contra ista seruit legi peccati. Qua obsecro in re nos ab Apostolo discedimus? Itaque quod iuuandi studio paulo crassius, fideliter tamen per nos hunc in modum exponitur, nemo inconsideratè vituperet. Ad institutum redeamus.

14 Scimus enim quod. *Apertius declarat confirmátque legi nullo modo imputandam nostram mortem, facta collatione proprietatis legis, & proprietatis corruptæ nostræ naturæ. Lex est spiritualis quædam res, id est, cœlestis, supramũdana, diuina, & ad cœlestia æternáque suo modo adducẽs, quomodo ergo occidat? Spiritus enim semper viuificat. Sed ego sũ carnalis, id*

est, terrenus, mundanus, ad terrena & peritura propensus. Igitur mors meapte culpa prouenit, & meomet vitio mihi eam accerso.

Venditus sub peccatum. *Amplificat vires corruptæ nostræ naturæ, simulq; interpretatur qualem intelligi hominẽ carnalem oporteat, nimirum qui totus in ius peccati concesserit, planeq; factus sit peccati mancipium. Siquidẽ metaphora de venditione tantundem significat.*

15 Quod enim ago, non. *Probatio, quòd toti sumus venditi sub peccatum, quodq; maxima sit peruersorum affectuum in nobis truculentia, ducta à genere actionum quas peccati vis ab homine etiam regenerato & reluctante extorquet. Quod ago, superatus vi carnis & peccati, id spiritus qui in me est, improbat ac detestatur. Sunt nanque omnia hæc accipienda vt ab homine regenerato, spirituali, quiq; ad perficiendum in omnibus voluntatem Dei percupidè fertur, pronunciata. Neque vero potest quis serio improbare quæ contra legem Dei committit, nisi spiritum apud se adhuc habeat cuius suggestione de lege quàm honorificentissime semper sentit, & ad exequendum ea quæ sunt legis aspirat. Quam sanè ob causam factum, quòd Apostolus omnia hæc profert de sua persona, suum videlicet exemplum & propriã experientiam in medium producens.*

Non

Non enim quòd volo. *Quod volo, ſecundum ſpiritum. Mirabile profecto certamen carnis & ſpiritus in vno eodemq; homine viſendum exhibetur. Quis non miretur vim peccati nobis perpetuo adhærentis tantam eſſe, vt etiam contra ſpiritum nobis in regeneratione donatum, & quæ legis ſunt præſtare ardentiſſime cupientem quodammodo præualeat?*

16 Si vero quod non volo. *Illatio qua cõcluditur legem, vel teſtimonio propriæ conſcientiæ iudicium ſpiritus ſectantis, bonam eſſe, ac proinde mortem illi minime imputandam.*

17 Nunc autem non iam. *Caterum quia quæ dicta ſunt, vt à ſpirituali homine dicta debent, quemadmodum ſemel admonuimus, accipi, ac interea abſurdũ videtur eum adhuc dici ſpiritualem, qui tamen confitetur in peccatum ſeſe ſubinde prolabi, ideo per correctionem Apoſtolus, ſi quis alius vir verè ſpiritualis vitioſas actiones à ſe amolitur, & in peccatum ſiue corruptam naturam vniuerſas reijcit, Vbi enim deprauata hæc natura, ingenita, & dũ in hoc mũdo viuitur perpetuo, vt domeſticus hoſtis inſeparabiliter cohærens, vi ſua inexpugnabili præualet aduerſus ſpiritum, adeo vt credentes, velint nolint, & quãlibet pro viriculis repugnãtes, neque vel in minima parte conſentientes carni, imò cõſtantiſſimè ea ſola approbantes quæ dictat*

ſpiritus, in peccatum frequenter incidant: hic profectò quod inuiti committunt, multo iuſtius peccato & peruerſæ naturæ quàm ipſis credentibus adſcribetur, Certè Dominus talibus quia quantum licuit adhæſerunt ſpiritui, ad damnationem quod cum dolore animi & per infirmitatem commiſerunt, minimè imputabit, quemadmodum initio capitis ſequentis apertè dicitur. Hæc itaque ratio vim peccati mirificè amplificat, necnon clariſſimè adhuc euincit mortem noſtram, non legi ſed peccato acceptam ferendam. Quò quidē omnia tendunt quæ hic fuſius tractantur. Obſerua metaphoram qua dixit, peccatum inhabitare. Sic nanq; ſedem prorſus fixit in homine, vt vniuerſum eiici poſſeſſione ſua in hac mortali & euanida vita nunquam poſſit. Vnde & ſanctorum obedientia omnis in hoc mūdo imperfecta, tantúmque inchoata cenſetur, tunc demū perficienda, vbi exutis mortali corpore, ſemel dabitur ſpirituali & cœleſti quiete perfrui.

18 Noui enim quod non habitet. *Probatio, quòd inhabitet peccatum, per contrariū: quia non inhabitat, inquit, bonū. Semper autem adfert propriam experientiam, & commune bonarum conſcientiarum iudicium, à quo certè nemo pius temere diſſentiet.*

Nam velle adeſt. *Ratio probationis ab effectu.*

sectu. Velle quidem adest mihi, dum ex animo spiritus sancti impulsionem sequor: at non reperio vt perficiam, dum caro validissimè repugnat tandemq; prævalet.

20 Porrò si quod non volo. *Illatio concludēs quod peccati vis in homine spirituali prævaleat, atq; ideo non sit dicendus ipse id perpetrare quod spiritui constantissimè adhærens, maximè odit, improbat, ac detestatur.*

21 Reperio igitur per legem. *Conclusio principalis, in qua definitur peccatum quod in nobis est, proprie existere mortis causam, legem vero nequaquam.*

22 Delectat enim me lex. *Exponit clariùs quomodo sentiat malum, per quod conciliatur mors, sibi adiunctum. Non est vlla difficultas, si modo respicias paulo attentius ad descriptionem personarum & partitionē diuersarum legum supra semel à nobis commemoratas. Siquidem hic vides quadruplicem legem, primam legem Dei, secundam legem peccati, quarum alteram necessum omnino est homo sectetur. Deinde vides hominem internum decentibus animæ partibus siue facultatibus ornatum (nam de externo in quo tantum spectatur massa carnis atque ossium, modica aut nulla in præsentiarum cura est) & in eo hinc legem mentis, nos supra appellauimus spiritū, inde legem membro-*

rum, quam diximus carnem: è quibus illa perquàm lubens consentit legi Dei, hæc legi peccati. Ex his nullo negocio quilibet iudicare, ni fallor, potest, quomodo hæ leges sibi inuicem opponantur, & quomodo per has luctæ ac certamina spiritualia in homine sprirituali moueantur, denique quomodo per peccatum & carnem, non autem per legem & spiritum mors veniat, id quod totius negotij caput est.

24 Miser ego homo. *Querela per exclamationem, in quam erumpit permotus consideratione, tum magnitudinis talium certaminum, tũ humanæ imbecillitatis, qua nimirum fit, vt etiam spirituales homines in peccatum prolabantur.*

25 Gratias ago. *Ne videretur aliter ac conuenit homini spirituali, quadam animi impatientia ac desperãti similis ita exclamasse, gratiarum actionem subijcit, qua testatur se boni cõsulere quicquid Domino immittere visum fuerit. Etiam si imperfecta gratiarũ actio præ magnitudine adfectus appareat.*

Itaque idem ego. *Repetitio sententiæ principalis quæ in conclusione habebatur. Ex quibus omnibus manifestum euadit, peccato habitanti in nobis mortem venire imputandam, nõ legi quæ ad salutẽ ordinata est. Hic itaque disputatio de lege eiusq; vsu prouide instituta, nec minus exa-*

cte

Ete discussa finem accipit, ac proinde tota confutatio. Sequitur vniuersæ primæ partis pulcherrima locupletissimaq; conclusio.

CONCLVSIO.

Cap. VIII.

NVLLA igitur nunc est condemnatio his qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem versantur, sed iuxta spiritum.

2 Nam lex spiritus vitæ per Christum Iesum, liberum me reddidit a iure peccati & mortis.

3 Etenim quod lex præstare non poterat, ea parte, qua imbecillis erat per carnẽ, hoc Deus proprio filio, misso sub specie carnis, peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem,

4 Vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem versamur, sed secundum spiritum.

5 Nam qui carnales sunt, quæ carnis

sunt, curant. At qui spirituales, quæ spiritus sunt.

6 Nam affectus carnis mors est, affectus vero spiritus, vita & pax.

7 Propterea, quod affectus carnis, inimicitia est aduersus Deum, nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem.

8 Qui vero in carne sunt, Deo placere non possunt.

1 Conclusio primæ partis præsentis Epistolæ, hoc est, vniuersæ disputationis de iustificatione per fidem, in qua pulcherrimo ordine: primo sententiã principalem totius disputationis de iustificatione per fidem habitæ, breuiter quemadmodum fieri in conclusionibus decet, repetit: secundo præcipit iustificatis vt recte vtentes beneficijs propter Christum acceptis, secundum spiritum, & non secundum carnem vitam instituant: tertio hortatur vt iustificationis fructus. i. bona spiritualia promissa siue hæreditatem cœlestem in patientia & longanimitate expectent, neque à fide et spe abduci vllo modo se patiantur. Quæ tria, vbi, qua occasione & quomodo tractentur, in progressu demõstrabimus. Est autẽ Apostolo vbique familiare, post expositã doctrinam,

nam, subijcere conclusiones hortatorias, quæ de vero & legitimo doctrinæ vsu admoneant, quæq; ea quæ in omnium animis altissimè hærere expedit, sedulo inculcent. Ait ergo: Nulla igitur nunc condemnatio &c. Posteaquam satis superq; in tota confirmatione est comprobatum, homines fide in Christum & propter Christum iustificari, etiam absque operibus legis: deinde in confutatione, nos certos esse debere de nostra salute, idq; propter incomparabilem Dei erga nos charitatem, gratiam item per Christum allatam longe plus posse efficere ad salutem, quàm nostrum peccatum ad damnationem: præterea credentes nequaquam esse sub lege sed sub gratia: & in proxima disputatione de lege: credentibus quamdiu in certaminibus spiritualibus constanter adhærent spiritui: peccata in quæ vitiatæ naturæ corruptæ violentia incidunt non imputari: ex his profecto omnibus iam rectè infert & concludit: eos qui per fidem insiti sunt Christo, mortis siue æternæ damnationis reos minimè teneri. Quibus sanè verbis nihil aliud quàm summa & propositio principalis siue status totius disputationis habitæ, euidentissimè exprimitur. Tãtundem enim valent, atque si simpliciter diceretur. Quotquot verè in Christum credunt, ij fide sua iustificãtur, peccatum ijs ad damnationẽ nõ imputatur. Insiti nanq; Christo, sunt credẽtes,

quandoquidem per fidem & fidei in baptiſmo cõfeſſionem inſeri homines Chriſto palàm eſt ex cap. 6. vbi eadem metaphora de inſitione occurrebat. De ſententia igitur, quòd videlicet vniuerſæ diſputationis repetatur hic propoſitio principalis, quinis citra negociũ poteſt iudicare. Cæterum quod ad verba attinet, ideo Apoſtolus paulo alijs verbis hic, quàm initio diſputationis vtitur, quia plerunq; gaudet reſpicere & dictionem attemperare ad proxime antecedentia, atque indiſſolubili quaſi nexu orationis membra colligare. Vnde nonnunquam fit, vt vbi ſeparari partes ab inuicem debeant, difficulter deprehendas.

Qui non iuxta carnem. *Interpretatur, quinam verè inſiti Chriſto & verè credentes, quibus peccatum ad condemnationem non imputabitur, agnoſci debeant, adeoq; diſtinguit vere credentes ab hypocritis & falſis fratribus. Quãnis oportet etiam accipi hæc verba, vt ſeruientia exhortationi, quam Apoſtolus ad iuſtificatos de vita ſecundum ſpiritum componenda mox ſubijciet. Deprompta nanq; ſunt ex ſuperioribus loquendi formulis, vbi ſpiritus & carnis certamen ſcitiſſimè deſcribebatur.*

2 Nam lex ſpiritus vitæ. *Propoſitio erat: Nullam eſſe condemnationem his qui inſiti ſunt Chriſto, qui modo ſecundum ſpiritum ambulant.*

lant. Iam additur ratio eius propositionis, nõ ab efficatia spiritus, vt primo aspectu apparet, verum à Christi potentia. Per Christum.n. facti sumus liberi ab omni iure quod peccatũ & mors in nos habuerant. Siquidem Christus caussa efficiens principalis nostræ liberationis & iustificationis existit, spiritus autem credentibus propter Christum datur, qui & viuere secundum ipsum cupientes vehementer adiuuat, ne peccato succumbant. Hanc ob caussam diserte ait, lex spiritus vitæ, non simpliciter, sed per Christum, me liberum reddidit. Quo etiam pertinent quæ statim sequuntur. Lepidè interim legi peccati & mortis, legem spiritus & vitæ opponit, respiciens nimirum adhuc ad ea quæ de certamine spirituali dicta sunt.

3 Etenim quod lex. Rationis confirmatio seu expositio, per comparationem potentiæ Christi cum dignitate legis, in hanc sententiam. Quòd liberi sumus à iure peccati & mortis, hoc Deus effecit per filium suum Christum, quod alioquin per legem siue opera legis fieri nunquam potuisset. Itaque modus iustificationis nostræ hic aperitur, atque idem plane dicitur quod supra crebro auditum est, iustificari credentes per & propter solum Christum etiam absq; legis operibus. Quare istud ad repetitionem sententiæ principalis de iustificatione per fidem pertinere, nemo nõ

intelligit. Cæterum quia pluribus verbis & selectis Apostolus iustificationis nostræ modum hic depingit, operæ precium est nonnulla seorsim pensiculate examinemus. Cum igitur ait: Legi impossibile fuisse liberare nos à iure peccati & mortis, respicit inprimis ad ea quæ de vsu legis paulo ante sunt disputata, & breuiter indicat legem nunquam in hoc fuisse ordinatam, vt per eam homines iustificarentur. Addit & caussam quare lex non potuerit iustificare, à nostra ipsorum infirmitate, dicens, legem imbecillem per carnem, id est, ratione carnis nostræ & vitiosæ naturæ, propter quam implere illam nunquam possumus. Lex quidem per se bona & salutaris, sed quo minus per eam possimus iusticiam coràm Deo consequi, in caussa est nostra ipsorum fragilitas. Quo sane pacto legis dignitatem probe vt hactenus tuetur: atq; in propriæ carnis nostræ malitiam, damnationis culpam reijcit. Eleganter deinde ait, de peccato condemnatum peccatum per carnem. Phrases quidem hebraicæ sunt, sententiam autem non difficile est reddere. De peccato, id est, per Christum qui nostri caussa induit carnem humanam, & factus est peccatum siue hostia & satisfactio pro peccato: damnatum est peccatum, id est, sublata omnis peccati vis & potestas, vt ius damnandi nos amplius nullum habeat, Videtur ἀν τανάκλασις esse, quando ἁ-

μαρτία

ἁμαρτία priore loco significat habraico more hostiam pro peccato, expiationem, quam Graecè κάθαρμα, Latini etiam piaculum dixere: secundo loco propriè & vsitato more accipitur. Neque alienum est à scripturis Christum appellari peccatum. Nam Esaiæ 53. 2. Corinth. 5. sic nominatur; & ad Galat. 3. maledictum. Aliquoties etiam vox ἁμαρτία in veteri testamento pro hostia pro peccato, posita inuenitur. Quinetiam effectum mortis Christi, nostram videlicet iustificationem Apostolus diserte hic exprimit dicens: Vt iustificatio vel iusticia (legitur enim δικαίωμα) legis impleretur in nobis. Impleretur, id est, imputaretur nobis propter Christum, qui solus exactè implenit. Sententia enim est: Quando Christus prò nobis factus est hostia prò peccato in carne nostra, iusticiam ainè nobis imputatam, perinde ac si nos in carne nostra, omnia quæ legis sunt, perfecissemus. Respexit haud dubie ad illud Esai. 53. Cognitione sui, qui iustus seruus meus est, iustificabit multos, quorum iniquitates ipse portabit.

4 Qui nòn secundùm carnem. *Repetit particulam suprà semel positam, clarè significans in ijs demum beneficium liberationis à iure peccati & mortis efficax apparere, qui secundum spiritum & non secundum carnem versantur.*

5 Nam qui carnales sunt. *Hactenus absoluit quod ad sententiam principalem totius disputationis de iustificatione per fidem propriè pertinet: nũc quedã adijcit plenius explicantia proximè antecedentem particulam, sed ita vt ad sequentem exhortationem viam quoque parent. Redditur ergo hic ratio quare non in alijs beneficium Christi efficax appareat, quàm secundum spiritum versantibus, sumpta à contrarijs spiritus & carnis actionibus siue studijs, quàm apta inprimis contentione illustrat.*

7 Propterea quòd adfectus. *Probatio quod ex adfectibus carnis necessariò mors sequi debeat. Adfectus carnis prsus aduersantur Deo, à quo solo omnis vita prouenit: quomodo igitur illi aliud quàm mortem adferant? Antecedens probat. Nam legi Dei non subditur. Enimuero qui detrectat Deo obedire, hunc aduersari Deo extra controuersiam est. Sed & apertius istud confirmat, dicens: Siquidem ne potest quidem. Cum enim caro plane facta sit tota mancipium peccati, quî possit simul seruire Deo? Tanta quoque est carnis fragilitas, vt etiam si maximè adniteretur legis portionem aliquam exactè implere, per se tamen ipsa id nunquam queat, præsertim cùm impletio legis sita sit non in obedientia tantum externa, quæ quidem ipsa difficillima est, rarissimaq́, sed potius interna, quæ requi-*

requirit puritatem adfectuũ: quam inueniri vel in vnius diei infantulo, ſcriptura aperte negat. Iob. 25.

8 Qui vero in carne ſunt. *Illatio concludens generaliter nullos qui ſecundum carnem viuunt agnoſci poſſe beneficiorum Chriſti participes. Et hæc omnia ad explicationem particulæ qua dicebatur in iis tantum iuſtificationis effectus impleri, qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum verſantur. Tantum igitur de prima concluſionis parte.*

9 Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſiquidem ſpiritus Dei habitat in vobis. Quod ſi quis ſpiritũ Chriſti non habet, hic non eſt eius.

10 Porro ſi Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt, propter peccatum, ſpiritus autem vita eſt, propter iuſtificationem.

11 Quod ſi ſpiritus eius, qui excitauit Ieſum a mortuis, habitat in vobis, is qui excitauit Chriſtum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter ipſius ſpiritum inhabitantem in vobis.

12 Proinde fratres, debitores ſumus, non carni, vt ſecundum carnem viuamus.

13 Nam ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Quod ſi ſpiritu facta corporis mortificetis, viuetis.

14 Etenim quicunque ſpiritu Dei ducuntur, hi ſunt filij Dei.

15 Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum ad timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, per quẽ clamamus: Abba pater.

16 Idem ſpiritus teſtatur, vna cum ſpiritu noſtro, quod ſimus filij Dei.

17 Quod ſi filij, igitur & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.

9 *Secunda pars concluſionis in qua præcipit iuſtificatis omnibus, vt recte vtentes beneficijs proper Chriſtum acceptis, ſecundum ſpiritum & non ſecundum carnem vitam inſtituant. Quam quidem exhortationem neceſſarium fuit hunc ad modum in concluſione adijcere, propterea*

quòd multa quæ hactenus tradita sunt, præsertim in confutatione, sic plerunq; malevoli & carnales homines interpretabantur, quasi fenestrã ad libertatem carnalem & scelerum audaciam aperirent. Audientes nanq; prædicari: quod credentes certi sint de' sua salute propter Dei dilectionem, non propter suas virtutes: quòd gratia Christi plus possit quàm nostra peccata: quòd credentes nõ sint sub lege: quòd credentibus peccata per fragilitatem & reluctante spiritu commissa non imputentur, statim omissis ijs quæ ad germanum istorum intellectum pertinent, animo concipiebant, his omnibus promitti quodammodo impunitatem scelerum, atque ita doctrina Euangelica turpissimè abutebantur, eamq; miris modis infamabant. Ad auertendum igitur huiusmodi offendicula Apostolus non minus strenuè in hac conlusione, quàm supra egerat in tota confutatione, laborat, simulq; iustificatos omnes vt ad præscriptum spiritus vitam componant diligentissimè hortatur. Interea vt æquioribus animis Romani exhortationẽ istam susciperent, specialim sermonem ad ipsos dirigit, confidens hac ratione paulo citius & vehementius permouendos: statimq; significat se bonam de ipsis spem concipere, quod quemadmodum semel facti sunt beneficiorum Christi participes, ita velint quoque vitam secundum spiritum

deinceps informare.

Siquidem spiritus Dei. Quia vero procedere non poterat exhortatio, nisi ante omnia cõstaret ipsos spiritum Dei habere, deinde eundum spiritum tam efficacem, vt per eum possent vitã rectè instituere (hac enim si ita non haberent, facile segnes homines tergiuersarentur, atq; exhortationem vniuersam ceu superuacaneã, & de rebus impossibilibus exploderent) ideo de his duobus certos facit, duo distincta argumenta adferendo, quæ ob id pro argumentis à possibili accipi merito queant. Primo igitur quòd spiritu sancto sint donati, hoc pacto probat. Vos estis, inquit, in spiritu. Tum quadam specie correctionis: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Quasi tacitè suggereret, vt secum ipsi expendãt, num spiritum in se agentem haberent. Deinde ceu tollere cupiens omnem de hac re dubitationem, addit: Necessarium quidem esse vt spiritum in se habeãt si pro Christianis agnosci velint. Qui enim nõ habent spiritum, eosdem non esse Christianos. Enimuero pro coniunctis censeri vult, esse verè Christianum, & habere Christi spiritum. Nam spiritus signaculum & σφραγὶς est fidei, daturq; credentibus pro certo signo diuinæ erga ipsos beneuolentiæ. Quòd igitur spiritu præditi sint, palàm est.

10 Porrò si Christus Iam quòd spiritus ille sit

sit efficax, eiusq; auxilio freti, possint vitam piè sanctèq; traducere, ita colligit: Si Christus per spiritum in vobis est, sicut esse non dubitamus, certum est in corpore vestro non tantum poterit peccatum ad inducendam mortem, quin multo plus possit in anima vestra spiritus ad inducendam vitam, maximè quia iam estis iustificati.

11 Quòd si spiritus. *Confirmatio per amplificationem de efficatia spiritus, qua asserit spiritum non modo in anima posse tantas res efficere, verum quod magis mirabile, sperandum insuper vt virtute eiusdem spiritus ipsum quoque corpus, quod propter peccatum manet morti obnoxium, suo tempore gloriam amplissimam recipiat. Neq; huic amplificationi deest firmamentum, à pari siue ab exemplo. Spiritus Dei suscitauit corpus Iesu ex mortuis, inquit, certum est igitur eundem suscitaturum & vestra mortalia corpora.*

12 Proinde fratres. *Constat eos in iustificatione accepisse spiritum, & hunc quidem ad omnia efficacem, sequitur nunc iusta exhortatio per argumenta suasoria, quibus ita eos impellit vrgetq;, vt quo minus secundum spiritum vitam componant, prætexere nihil quicquam in reliquum possint. Est oratio defectiua, cui ad complendam antitheſin hoc pacto videtur ad-*

iciendum: ſed ſpiritui, vt ſecundum ſpiritum viuatis.

13 Nam ſi ſecundum. *Primum argumentum ſuaſorium ſumptum à ratione diuerſorum effectuum ſiue præmiorum, quaſi dicatur:*

Id potiſſimum decet amplecti, cuius præſtantior eſt finis ſeu effectus.

Sed ſpiritus effectus præſtãtior eſt quàm carnis.

Igitur ſecundum ſpiritum viuendum & non ſecundum carnem.

Minor apertiſſimè explicatur verbis Apoſtoli. Poſſes etiam dicere argumentum, à comminatione pœnæ & promiſſione præmij.

Etenim quicunque ſpiritu. *Secundum argumentum ab æquo, ſiue ab officio filiorum Dei in hanc ſententiam:*

Hi agnoſcuntur filij Dei, quicunque ſpiritu ducuntur.

At qui vos eſtis filij Dei, & vultis etiam tales agnoſci.

Igitur decet vos ſecundum ſpiritum viuere, & ſpiritus imperata alacriter facere.

Maiorem vult eſſe notam, à ſignis & communi piorum iudicio. Etiamſi colligi veritas eius queat, ex eo quod ante dictum eſt, eos qui ſpiritum Chriſti non habent eius non eſſe. Minorem probat tribus rationibus. Prima à ſigno, quod nimirum ſemel acceperint ſpiritum adoptionis,

quan-

quando videlicet ad primam confessionem fidei maximè in baptismo spiritu sancto donati sunt: vnde profectò certum habent signum se adoptatos in filios, non in seruos. Spiritus ille non nisi filijs donari solet. Secunda, quòd per eundem spiritum appellent Deum, suum patrem. Quod vtiq; haud possent si non essent eius filij. Hæc ratio est ab effectu spiritus, vel à natura relatiuorum. Tertia ratio ducitur similiter ab effectu spiritus, & propria credentium conscientia. Idem spiritus, inquit, testatur vnà cum spiritu nostro, quòd sumus filij Dei. Relinquitur ergo minor abunde probata.

17 Quòd si filij. *Tertium argumentum à magnitudine præmij, fluens ex præcedenti secundum naturam adiunctorum. Adiunctum est filijs vt hæreditatem capiant. Porrò vbi perpenditur qualis sit hæreditas Dei, debet huius amplitudo omnes vehementer permouere, vt potius secundùm spiritum quàm secundùm carnem viuere adnitantur. Sed & amplificatur promissæ hæreditatis dignitas, quando credentes vocantur, Christi cohæredes. Eos enim quitãtum adoptati sunt prorsus parem acciperent hæreditatem cum filio naturali Christo, quis non videt reuera longe esse maximum? Quanquam apparet Christi mentionem factam, vt via sterneretur ad ea quæ de patientiæ Christi mox sequuntur. Et hactenus quidem exhortatio*

vt iustificati viuant secundùm spiritum & non secundùm carnem.

Siquidem simul cum eo patimur, & vt vnà cum illo glorificemur.

18 Nam reputo, non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos.

19 Etenim solicita creaturæ expectatio expectat, vt palam fiant filij Dei.

20 Quippe vanitati creatura subiacet, non volens, sed propter eum, qui subiecit illam sub spe.

21 Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

22 Scimus enim, quod omnis creatura congemiscit, simulque nobiscum parturit vsque ad hoc tempus.

23 Non solum autem illa, sed & ipsi, qui primitias spiritus habemus, & nosipsi in nobisipsis gemimus, adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri.

24 Si-

24 Siquidem ſpe ſeruati ſumus. Porro ſpes, ſi videatur, non eſt ſpes. Quod enim quis cernit, cur idem ſperet.

25 Si vero quod non videmus ſperamus, id per patientiam expectamus.

26 Conſimiliter autem & ſpiritus auxiliatur infirmitatibus noſtris. Siquidem hoc ipſum, quid oraturi ſimus, vt oportet, non nouimus, verum ipſe ſpiritus intercedit pro nobis, gemitibus inenarrabilibus.

27 At ille qui ſcrutatur corda, nouit, quis ſit ſenſus ſpiritus, quoniam ſecundum Deum intercedit pro ſanctis.

28 Scimus autem, quod his qui diligunt Deum, omnia ſimul adiumento ſunt in bonum, nimirum his, qui iuxta propoſitum vocati ſunt.

29 Quoniam quos præſciuerat, eoſdem & præfiniuit, conformes imaginis filij ſui, vt ipſe ſit primogenitus inter

multos fratres.

30 Porro quos prædefinierat, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit.

31 Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

32 Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri potest, vt non & cum eodem omnia nobis donet.

33 Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat.

34 Quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis.

35 Quis nos separabit à dilectione Dei? Num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius?

36 Quemadmodum scriptum est:

Propter

Propter te morti tradimur tota die, habiti sumus velut oues destinatæ mactationi.

37 Verum in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos.

38 Nam mihi persuasum habeo, quod neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neque instantia, neque futura,

39 Neque altitudo, neque profunditas, neq; vlla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Tertia pars conclusionis, qua hortatur credentes vt iustificationis fructus, id est, bona spiritualia promissa siue hæreditatem cœlestem in patientia & longanimitate expectent, nullisq; interea machinis se à fide & spe abduci patiantur. Quam quidem exhortationem Apostolus nulla ratione potuisset omittere. Idq; tribus potissimum de causis. Prima, quòd in asperrimis illis carnis ac spiritus colluctationibus, de qualibus sermo est habitus, planè arduum sit, penè dixeram impossibile, subsistere: quandoquidem crebro cernuntur nonnulli ad despera-

tionem vsque in illis angi, & post longa certamina, addam post aliquot victorias, subinde à spiritu defectionem meditari. Altera, quòd credentes procul dubio infestissimis persæpe exagitabantur huiusmodi cogitationibus. Quousq; tandem Dominus permittet nos hic continuè affligi? Audimus quidē & credimus nobis maximā esse gloriam in spe propositam: at quādo dabitur ò Domine eam semel in re adipisci? Immensa quidem felicitatis præmia nobis per doctores Euangelij verbis Domini promittuntur: atqui comperimus interea temporis nos hic perpetuo agere præ cæteris mortalibus inglorios, atq; omni insuper calamitatum genere oppressos. Certum est huiusmodi cogitationum tela pios in suis conscientijs frequenter sensisse, necnon grauiter inde vulneratos. Tertia causa: audire non raro debuerunt pij ab aduersarijs atque irrisoribus, inanem esse vniuersam prædicationem Euangelij, stultam & ridendam esse ipsorum fidem, per quam omnia bona, imprimis quietem expectabant, & tamen vix vnquam aliquid accipiebant, quod vel appellationem boni quocunque modo (quantum inquam ad externa attinet, eaq; quæ mundi oculis sunt exposita) mereretur. In huiusmodi igitur valde atrocibus conflictibus, & spiritualibus periculis tam internis quàm externis, ne pij animo frangerentur, spemq; per Euangelium semel

mel conceptam abycerent, existimauit Apostolus se operæ facturum precium si exhortationem ad patientiam & longanimitatem in conclusione adnecteret, piorum pectoribus contra eiusmodi tentationes perpetuo tanquam clypeum circumferendam, necnon doceret quibus modis in certa spe de accipiendis iustificationis fructibus confirmari possent. Sic ergo incipit: Siquidem simul cum eo patimur &c. Vide quàm artificiosè ad locum de patientia transeat. Dixit iustificatos cohæredes factos Christi, iam addit ceu conditionem necessariam, tum quidem maximè hæreditatem promissam percepturos, vbi eadem via qua ille ad eandem contenderint, nempe prius multa patienter ferendo, quemadmodũ ille plurima pertulit. Cum autem Apostolus congerat hic magnum argumentorum aceruum ad persuadendum ac mouẽdum adfectus vtilium, quemadmodum in conclusionibus fieri mos est, non malè accipiemus statim in hisce verbis primum argumentum suasorium ab exemplo Christi, prius quidẽ per varias adflictiones humiliati, quàm ad cœlestem gloriam proueherentur. Quis autem non dicat æquissimum, vt si bonorum cupimus esse cum illo participes, etiam malorum nonnihil cum illo patiamur?

18 Nam reputo non esse. *Secundum argumẽtum à collatione afflictionum quæ hic pos-*

sunt obuenire, & gloriæ post hanc vitam succedentis.

19 Etenim solicita creaturæ. *Tertium argumentum ab exemplo creaturarum etiam rationis expertium, in hanc sententiam:*

Omnes creaturæ sentiunt se vanitati & corruptioni subiectas, & nihilominus expectant se aliquando innouandas ac restaurandas.

Igitur nos quoque licet sentiamus variis nos premi calamitatibus, sperare tamen constanter debemus gloriam multo amplissimam successuram.

A minori ad maius. Eleganter vero per prosopœiam creaturis irrationalibus tribuit rationales adfectus, quod videlicet expectent manifestationem filiorum Dei, quod sperent liberationem suam, quod congemiscant & parturiant nobiscum &c. Quæ omnia non modo vehemens desiderium, verum etiam magnam certitudinem restaurationis exprimunt.

23 Non solum autem illa. *Quibusdam placet attexi ista præcedentibus, atq; accipi pro altera parte consequentiæ, adeoque pro illatione, quasi diceretur: Si illæ creaturæ irrationales sic expectant liberationem, quanto iustius nos qui ratione & spiritu sumus præditi idem faciemus? Atque eo pacto argumentum à minore*

ad

ad maius absolutum haberetur. Sed rectius constituetur hic quartum argumentum suasorium, ductum ab exemplo & adfectibus sanctorum, idq; propositum quadam correctionis forma, vt nimirum clarè indicaretur aliquid diuersum & multo praestantius hic dici quàm praecedenti argumento dictum fuerat. Hac autem est argumenti sententia: Nos ipsi qui habemus excellentiora dona spiritus, ac proinde minus deberemus commoueri praesentibus malis, saepenumero ingemiscimus grauiterq; angimur, at nihilominus forti animo expectamus nostram liberationem: igitur vos quoque licet nequaquam paria dona accepistis, minime tamen debetis desperare, si quando sentitis vos molestiarum angi magnitudine, quin potius aequanimiter omnia ferentes, sperabitis certam liberationem suo affuturam tempore.

24 Siquidem spe seruati. *Quintum argumentum a natura spei, quod non citra occupationem caeteris adiungitur. Vbi enim conquesturi erant quidam, se quantumlibet ingemiscerent, longanimiter promissam liberationem expectantes, nullum tamen vsquam experiri successum, immo omnia potius abire in contrarium, atque indies alia super alia experiri incommoda: retundit querelam hanc Apostolus, dicens: Propterea nequaquam desperandum.*

Hanc enim esse diuinæ voluntatis ordinationem, vt salutem, quamdiu hic hæremus, non habeamus nisi in spe, tum vero eam percepturi in re, vbi hinc semel migrauerimus. Porrò ad comprobandum istud, commodùm addit spei definitionem, nempe: spem proprie esse de rebus non apparentibus, ideoq; etiam vbi minimè apparent salutis præsidia, spem nihilominus inconcussam retineri debere.

25 Si vero quod non. *Sextum argumentũ ab adiunctis, siue à necessario consequenti.*

Si conuenit perstare in spe, Igitur & in patientia. Siquidem vbi spes est, ibi patientiam quoque simul esse oportet, quasi germanam aut certe comitem indiuiduam. Affine quidem est argumentum præcedenti, quippe quod ex definitione spei deriuatur, atqui maioris lucis ergô seiungendum existimauimus.

26 Consimiliter autem &. *Septimum argumentum à præsenti auxilio & virtute spiritus sancti. Sumus quidem nos valde infirmi, at spiritus sanctus adiuuare non desinit, & propterea in adflictionibus minimè diffidemus. Valde prudenter istud argumentum præcedentibus de spe continuo annectitur. Crebro nanque humana infirmitas etiamsi multa ei occinantur de bonis futuris expectandis, tamen dum horum nulla sensu aut ratione hic percipiuntur, multitudine*

peri-

periculorum continuè interea ſuccedente, frangitur, ſemperq; expectando feſſa fit. Hinc vero egre patitur deinceps ſibi de futuris aliquid perſuaderi, & recuſans tandem expectare diutius ſpem vniuerſam ſemel abijcit. Contra huiuſmodi igitur tentationem, argumentum iſtud adhiberi debet de certa ope & virtute ſpiritus, per quem adiuuanda ſit noſtra infirmitas vt perſiſtere in aduerſis queamus, ne abs re in deſperationem nos ipſi precipitemus. Cæterum quia infirmi animi adhuc de ipſa ſpiritus ſancti ope aliquoties dubitant, cogitantq; ſe à ſpiritu deſeri, aut certe nequaquam in tempore adfuturum, addit idoneam probationem, quòd ſpiritus nobis adſit, ſumptam à ſigno & quotidiana propè credentium experientia, qua in perpetua noſtra infirmitate, perpetuum ſentimus ſpiritus ſancti in nobis agentis auxilium, dum videlicet quotidie excitat ac docet nos patrem inuocare, quod profecto noſtra imbecillitas nunquam in nobis per ſeſe efficeret. Sed amplificat præterea opem ac virtutem ſpiritus ſancti, ab effectu, nempe, quòd quando illo impellente oramus (tantũdem enim ſibi vult, dicendo: ſpiritum pro nobis intercedere) à Deo exaudiamur. Neque enim Deus audit niſi per ſpiritum orantes. Dicitur ſpiritus ipſe cum gemitu intercedere, quando ad gemitus & orationem ipſe nos mouet, nec-

non dum oramus, in cordibus nostris tanquam magister & gubernator chori præit. Etenim caro nostra quàm minimum ibi facit, nec suis quidem viribus posset aliquid præstare.

28 Scimus autem quòd his. *Octauum argumentum à diuinæ prouidentiæ ordinatione, secundum quam credentibus etiam mala cedere ad bonum solent. Est autem hæc propositio. Scimus quod diligentibus Deum & electis omnia adiumento sunt in bonum. Ne vero propositionem hanc quisquam protinus reijciat, sapienter attexit probationem ab exemplo & successu Christi, atque hunc in modum ratiocinatur.*

Quos Deus elegit, eos constituit conformes fieri imaginis filij sui.

Atqui filio Dei Christo etiam mala cesserunt ad bonum, quando nimirum post extremam humiliationem ipse ad maximam euectus est gloriam.

Igitur electi quoque exemplo Christi, si prius humilientur, postea proculdubio glorificabuntur: & sicut Deus semel eos præsciuit, elegit, vocauit, iustificauit, ita etiam glorificabit.

Hæc est perspicua sententia, quam omnes in verbis Apostoli contineri deprehendent, si modo pauculà obseruarint. In prima propositione,

diligẽtes Deum vocat credentes, quos & statim interpretatur, iuxta propositum vocatos, id est, electos, fortassis per correctionem, ne quis suspicaretur credentes sua dilectione id promereri quod acceptum ferri debet gratuitæ Dei electioni & beneuolentiæ. In maiore probationis, electos vocat præscitos. Conclusionem effert per gradationem, quæ ordinem & progressum diuinæ prouidentiæ in seruandis pijs euidentissime demonstrat. Ad hæc verba præteriti temporis adhibet, more prophetarum, maioris certitudinis ergô, de futuro loquens tanquam de præterito. His inquam obseruatis, perspicua habetur sententia.

31 Quid igitur dicemus ad hæc? *Respiciens in altitudinem diuinæ prouidentiæ ac dispensationis in rebus omnibus, præsertim ad salutem nostram pertinentibus, erumpit in pias exclamationes, quæ scitè exprimunt, quomodo credentes omnes adfectos esse oporteat.*

Si Deus pro nobis. *Nonum argumentum. Quemadmodum enim ardentissimo adfectu hic dicuntur omnia, ita pro argumentis suasorijs eadem esse accipienda, dubium non est. Est igitur argutum enthymema, per collationem potentiæ diuinæ cum periculis quæ possunt ingruere, quod & derivatur ex argumento superiori de diuina prouidentia, quæ pro certo ha-*

bere iubet, quòd Deus velit nos in omnibus aduersitatibus tueri. Emphasis in voce, Deus.

32 Qui proprio filio, *Decimum argumẽtum à certitudine benevolentiæ Dei erga nos, quam à signo comprobat, nempe quòd Deus filium suum proprium, vnigenitum, charissimumq; pro nobis tradiderit. Quod argumentum supra quoq; audiuimus cap. 5. Hinc vero à maiore ad minus sic ratiocinatur: Si tradidit pro nobis filium, quid ni etiam reliqua bona omnia cum illo, & propter illum?*

33 Quis intentabit. *Vndecimum argumentum à certitudine & effectu necessario diuinæ electionis. De quo etiam obiter in argumenti octaui conclusione.*

34 Christus est qui. *Postremo subijcit vice omnium argumentorum quæ prætereà adferri possent, quatuor maximè memorabiles Christi actiones, quæ sunt principales causse nostræ salutis, et planè eiusmodi, vt quoties adflicti in eas animum diligentius intenderint, certissimam omnino spem debeant concipere de Dei misericordia, immo & indubitato statuere, Deũ velle ac posse ipsos è periculis, necnon æterna damnatione liberare. Deberent reuera hæc quatuor, Christi inquam mors, resurrectio, consessus ad dexteram patris, assidua pro nobis intercessio, omnibus qui malorũ grauitate pressi, animis percelluntur,*

cellunt ur, ſtatim proponi altiſſima mente conſideranda, nec dubium quin breui maximis ſe moleſtijs eximi perſentiſcerent.

35 Quis nos ſeparabit. *Finitis argumentis ſuaſorijs, infert poſtremo, & quidem per interrogationem, quadam etiam exclamationis ſpecie enunciatam, nos ſic debere per hæc eſſe cõfirmatos, vt nullis vnquam modis à fide et ſpe in Deum, nos abduci patiamur. Eſtq; ſententia. Vbi iam tot modis certiores ſumus facti de bona Dei erga nos voluntate, profecto turpiſſimum fuerit propter vllas quamlibet graues & horrendas tentationes ſpem abijcere, fidemúe de miſericordia Dei deponere. Per dilectionem intellige conſtans ſtudium Deo adhærendi, necnon conſtantem fidem ac ſpem de Dei beneuolentia. Enumerat autem grauiſſima aliquot pericula per congeriem, pro omnibus periculorum generibus.*

36 Quemadmodum ſcriptum eſt. *Manifeſto ſcripturæ teſtimonio euincit, tantam à nobis requiri conſtantiam, vt paratos eſſe oporteat potius quotidie mori, quàm ſpem de diuino auxilio ſemel abijcere. Ex Pſal. 44. mutuatus eſt, in quo ſancti petentes à Deo auxilium, inter cetera commemorant, quomodo in aduerſis inuicto animo omni tempore perſtiterint, & propter periculorum magnitudinem à Deo eiusq; teſtamẽ-*

to nunquam fuerint alienati. Vide versum decimumoctauum cum aliquot sequentibus.

37 Verum in his omnibus. *Subiectio ad proximam exclamationem. Certum est, inquit, nos omnia aduersa prius superaturos, quàm fidem de misericordia Dei abijciamus. Adiungit & caussam: Per eum qui dilexit nos, hoc est, nõ propter aliquas virtutes nostras, neque propter charitatem qua nos Deum prosequimur, sed propter insignem illam qua ipse nos prosequitur, de qua saneiam valde multis & efficacibus argumentis certi facti sumus.*

38 Nam mihi persuasum. *Repetit illationem magno affectu, & non sine hyperbolis, summatim concludens: nihil tam sublimè, tam excellens posse dici aut cogitari, quod nos à dilectione Dei, id est, constanti fide & spe, de Dei erga nos bonitate queat abducere. Particula illa: Quæ est in Christo Iesu Domino nostro, insinuat, nostram dilectionem & constantiam in fide tum demũ firmam atque inconcussam posse perseuerare, vbi in Christum respicit, propter quem solum pater liberat à periculis, & vt semel complectamur omnia, propter quem donat vniuersa ad salutem necessaria. Et profecto hæc persuasio, hæc spes, qualis ab Apostolo hic describitur, talis deberet omni tempore in omnibus sanctis elucere. Ad naturam quippe fidei vel maxime*

perti-

pertinet, certo statuere quòd Deus facultatem dabit ad finem vsq; perseuerandi. His absoluitur prima pars epistolæ, in qua homines iustificari fide in Christum, etiam absq; operibus legis, graui, nec minus luculenta disputatione definitum demonstratumq; est.

SECVNDA PARS EPISTOLÆ, in qua, de reiectione Iudæorum, & vocatione Gentium, succincta sed tamen grauis disputatio.

EXORDIVM cum Propositione.

Cap. IX.

VERITATEM dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per spiritum sanctum,

2 Quod dolor mihi sit magnus, & assiduus cruciatus cordi meo.

3 Optarim enim egoipse, anathema esse à Christo, pro fratribus meis, cognatis meis, secundum carnem,

4 Qui ſunt Iſraelitæ, quorum eſt adoptio, & gloria, & teſtamenta, & legis conſtitutio, & cultus, & promiſſiones.

5 Quorum ſunt patres, & ij ex quibus eſt Chriſtus, quantũ attinet ad carnem, qui eſt in omnibus Deus laudandus in ſecula, Amen.

Hæc eſt ſecũda pars Epiſtolæ, De reiectione Iudæorum & vocatione Gentium inſcripta, quandoquidem duobus hiſce locis pertractandis, tota diſputatio ſequens conſumitur. Quod quo clarius precipiatur, qua occaſione Apoſtolus ad ſuſcipiendam hanc diſputationem fuerit permotus, aduertamus. Duo erant, quantum intelligere poſſum, moleſtiſſimi ſcrupi, atque vt probabile per Iudæos potiſſimum Euangelij calumniatores ac Gentium ſaluti inuidentes, animis Gentilium iniecti. Prior hic erat. Conſtabat quidem promiſſiones de beneficijs per Chriſtum exhibendis peculiariter pertinere ad Iudaicum populum & ſemen Abrahæ, interea tamen (quod auditu mirum) paucissimi ex eo populo Chriſtum eiusq; Euangelium amplectebãtur, immo plurimi potius execrabantur, ac tantum aberat vt conſpicerẽtur per Chriſtũ iuxta

pro-

prophetarum vaticinia habere melius quàm antea, vt etiam multo infelicius cum eis ageretur, tanquam si populus ille vniuersus nunc à Deo esset prorsus abiectus, atq; anathema planè fieret. Hinc autem cogebantur multi pij, præsertim Gentiles anxiè suspicari: aut Christum in Euãgelio prædicatum non esse verum illum Christum patribus ad salutem Iudaici populi promissum: aut promissiones Dei de salute populi per eundem procuranda olim editas, nunc irritas atque inanes apparere. Quorum vtrunque vel mente concipere, religiosis animis grande fuerit piaculum. Alter scrupus erat. Etiam si Christus qui per Apostolos prædicabatur, esset verus Christus, nullo tamen pacto beneficia Euangelica per eundem allata, Gentilibus fore impertienda. Quæ sententia apud Iudæos sic peruulgata confirmataq; erat, vt Apostolos quoque in ea aliquãdiu fuisse ex libro Actorum liqueat. Quemadmodum vero prior scrupus cogebat de dignitate Christi ac de veritate Euangelij omnes pios etiã qui ex Iudæis erant dubitare: ita posterior, Gentiles in primis, ad desperandum de salute per Christum adigebat. Et credi par est perfidos Iudæos morose admodũ & frequẽter solitos istas rationes infirmis fratribus obtrudere, caussatosq; si verus esset Christus quem Paulus & collegæ eius annunciabant, se quoque perlubenter eun-

dem fuisse recepturos, necnon necessario debere salutis in Christo promissæ argumenta quædam siue effectus apud ipsos conspici, vt promissionum diuinarum veritas consisteret. Porrò ad tollendos hos duos scrupos iustam disputationem Apostolus instituit, in qua post Exordium & Propositionem, seu potius insinuationem, addit luculentam Confirmationem, in duas diuisam partes. Quarum quidem priore ad remouendũ priorem scrupum docet: promissiones Dei nequaquam irritas esse factas, sed vere adimpletas, & adhuc implendas in posterum: id autem si non in vniuersis ex Iudaico populo, at certe in electis, quod quidem vt diuinarum promissionum constet veritas, abunde satis est. Deinde rationem reddit qui fiat quod adeo pauci ex Iudæis Christum recipiant, caussas abiectionis eorundẽ explicando, quæ simul ex parte Dei, simul ex parte hominum ad electionem seu abiectionem concurrere dignoscuntur. Ad tollendum scrupum alterum, secundam cõfirmationis partem attexit, in qua succinctè cõgerit scripturarũ testimonia euidenter probantia, quòd etiam Gentibus prædicari Euangelium, necnon beneficia Euangelica salutis per Christum impendi debeant. His tota confirmatio absoluitur. Sequuntur deinde nonnulla quadam Confutationis specie addita. Quando enim demonstratum erat, Iudæos

dæos factos anathemata atque excludi iam à promissionibus Euangelicis, Gentes vero in locũ eorum eligi, promissionumq; fieri participes: existimaturi erant quidam Iudaicum populum prorsus debere concidere, præclusa ei undequaq; in posterum salutis via. Quæ itaq; hac ex parte obiici potuissent, sapienter diluit, ac docet, adhibitis etiam sacris pronunciatis, semper aliquos ex Iudæis saluos fore. Quibus omnibus oppido salutarem subnectit Cõclusionem. Nunc ad Apostoli verba accedamus.

1 Veritatem dico in Christo, inquit, &c. *Eleganter præfatur, idq; non tam vt auditorum conciliet animos, quam vt amoliatur suspitionem odij in suam gentem concepti, quo laborare eum Iudæi astutè spargebant. Orditur autem ab affectu, dicens se vehementer dolere vicem fratrum suorum secundum carnem. Vtq; fidem faciat, iureiurando persanctè asseuerat. Cæterum oratio est imperfecta, quandoquidem doloris causſam nullam exprimit. Quod tamen consulto factum apparet. Nam in oratione pathetica habet gratiam ἀποσιώπησις, qua doloris vehementiæ artificiosè insinuatur. Quid? quod inciuilius forte interpretati fuissent quidam (maximéque Iudæi natura alioquin mirè irritabiles) si statim crassè pronunciasset, Iudæos à Deo esse reprobatos.*

Quamuis hanc ipsam doloris sui iustã caussam, verbis sequentibus perstringit.

2 Optarim enim ego ipse. *Adfectum suum confirmat etiam voto seu imprecatione. ἀνάθεμα, reiectionem, execrationem seu maledictionem notat. Vides autẽ hic quomodo, dicendo se velle anathema fieri pro fratribus, obliquè significet illos iam anathemata factos. Quæres tãti doloris caussam illi attulit. Quomodo autem vel quare facti sint anathemata, Apostolus ceu rẽ satis notã hic nõ exprimit, licet in progressu orationis aliquoties clare edicat, nẽpe, quod Christum eiusq; Euangelium recipere noluerint. Sic nanque ad finem huius capitis: Impegerunt, inquit, in lapidẽ offendiculi, quemadmodum scriptum est &c. Rursus cap. 10. Ignorantes Dei iusticiam & propriam iusticiam quærentes constituere, iustitiæ Dei non fuerunt subditi. Nam perfectio legis Christus ad iustificationẽ omni credẽti. Quamobrẽ rectè dicemus Apostolum in hoc exordio insinuatione vti, necnon ex hisce verbis colligi per nos debere tacitam vniuersæ disputationis propositionem. Ea autem erit huiusmodi: Iudæi facti sunt anathemata, siue reiecti sunt à Deo, Gentiles vero in locum eorum eliguntur. Cuius quidem propositionis prior pars verbis Apostoli hic vicunque insinuatur, posterior autem ex ipso rerum successu probè nota erat, immo*

vtraque

vtraque omnibus sic nota erat, vt profecto opus haud fuerit ea de re in disputationis exordio apertius agere. Iam vero quæ deinceps in exordio adijciuntur, ea partim ad amplificandum suum adfectum, partim ad conciliandam Iudæorum beneuolentiam conducere, quiuis nullo negocio deprehendit.

CONFIRMATIO,

eiusq; pars prior, De reiectione Iudæorum.

6 NON autem hæc loquor, quod exciderit sermo Dei. Non enim omnes qui sunt ex Israel, sunt Israel,

7 Neque quia sunt semen Abrahæ, statim omnes filij, sed per Isaac nominabitur tibi semen,

8 Hoc est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui sunt filij promissionis, recẽsentur in semen.

9 Promissionis enim sermo hic est: In tempore hoc veniam, & erit Saræ filius.

10 Non solum autem hoc, sed & Re-

becca ex vno conceperat Isaac patre nostro,

11 Nondum enim natis pueris, cũ neq; boni quippiam feciſſent, neq; mali, vt ſecundum electionem, propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante,

12 Dictum eſt illi: Maior ſeruiet minori.

13 Sicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau vero odio habui.

14 Quid igitur dicemus? Num iniuſticia eſt apud Deum? Abſit.

15 Nã Moſi dicit: Miſerebor, cuiuſcunq; miſereor, & commiſerabor, quencunque commiſeror.

16 Itaque non volentis eſt, neque currentis, ſed miſerentis Dei.

17 Dicit enim ſcriptura Pharaoni: In hoc ipſum te excitaui, vt oſtẽdam in te potentiam meã, & vt annuncietur nomen meum in tota terra.

18 Itaque cui vult, miſeretur, quem autem vult, indurat.

19 Dices

19 Dices ergo mihi: Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati illius quis reſtitit?

20 Atqui, ô homo, tu quis es, qui ex aduerſo reſpondes Deo? Num dicet figmentum ei qui finxit: Cur me finxiſti ad hunc modum?

21 An non habet poteſtatem figulus luti, vt ex eadem maſſa fingat, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in ignominiam?

22 Quod ſi Deus, volens oſtendere iram, & notã facere potentiam ſuam, tulit multa animi lenitate vaſa iræ, apparata in interitum,

23 Et vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ, erga vaſa miſericordiæ, quæ præparauerat in gloriam,

24 Quos & vocauit nimirum nos, non ſolum ex Iudæis, verum etiam ex Gentibus.

25 Quemadmodũ & Oſee dicit: Vocabo populũ, qui meus nõ erat populũ meũ: & eã quæ dilecta nõ erat, dilectam.

26 Et erit in loco, vbi dictum fuerat eis: Non populus meus vos, ibi vocabuntur filij Dei viuentis.

27 Esaias autē clamat super Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel vt arena maris, reliquiæ saluæ erunt.

28 Sermonem enim perficiens & abbreuians cum iusticia, quoniam sermonem abbreuiatum faciet Dominus in terra.

29 Et quemadmodum prius dixit Esaias: Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, vt Sodoma facti fuissemus, & Gomorrhæ assimilati fuissemus.

30 Quid igitur dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur iusticiam, apprehenderunt iusticiam, iusticiam autē eam, quæ est ex fide.

31 Contra, Israel qui sectabatur legem iusticiæ, ad legem iusticiæ non peruenit.

32 Propter quid? Quia non ex fide, sed tanquam ex operibus legis. Impegerunt

pegerunt enim in lapidem offendiculi.

33 Quemadmodum ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & petram offenſionis, & omnis qui credit in eo, non pudefiet.

Cap. X.

FRatres, propenſa quidem voluntas cordis mei, & deprecatio, quæ fit ad Deum, pro Iſrael, eſt ad ſalutem.

2 Teſtimonium enim illis perhibeo, quod ſtudium Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.

3 Nam ignorantes Dei iuſticiam, & propriam iuſticiam quærentes conſtituere, iuſticiæ Dei non fuerunt ſubditi.

4 Nam perfectio legis Chriſtus, ad iuſtificationem omni credenti.

5 Moſes enim ſcribit de iuſticia, quæ eſt ex lege, quod qui fecerit ea homo, viuet per illa.

6 Cæterum quæ ex fide eſt iuſticia,

ea sic loquitur: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? Hoc est Christum ex alto deducere.

7 Aut quis descendet in abissum? Hoc est Christum ex mortuis reducere.

8 Sed quid dicit? Prope te verbũ est in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus:

9 Nempe, si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deꝰ illum excitauit a mortuis, saluus eris.

10 Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem.

11 Dicit enim scriptura: Omnis qui fidit illi, non pudefiet.

En Confirmatio, quæ quemadmodum dicere cepimus in duas partes, alteram de reiectione Iudeorum, alteram de vocatione Gentium, idq; ob eas quas ante commemorauimus causſas, diuisa est. Priorem autem partem ingrediens Apostolus, docere statim vult, quantumuis Iudei facti sint anathemata, propterea quod Christum

stum eiusq; Euangelium à se repulerint, promissiones tamen ad patres de Christo & salute per eundem populo Iudaico adferenda olim factas, vere efficaciterq; nũc impleri. Omissa igitur narratione seu quacunq; pleniore expositione, continuo suscipit grauissimam obiectionem diluendam.

6 Non autem hæc loquor, inquit, quod exciderit sermo Dei. *Hæc est dilutio tacitæ obiectionis: sed vndenam sequatur, non cuiuis perinde promptum est videre, maximè cum nihil apertè præeat ad quod commode subijceretur. Atqui ipsa correctionis forma, verecunde arguit respiciẽdum esse ad talem propositionem, qualem in exordio diximus obliquè insinuatã, nempe: Iudæos factos anathemata. Aduersus huiusmodi autẽ propositionem aliquis forte obiecisset: Sequitur ergo, promissiones Dei de seruando per Christum populo Iudaico irritas fieri. Porro ad hanc obiectionem rectè sequuntur verba Apostoli: Etiam si dicam Iudæos factos anathemata, non tamen propterea irritæ erunt Dei promissiones, neque sermo Dei, quo pollicitus est se Deum fore seminis Abrahæ, excidet.*

Non enim omnes qui. *Exponit quod sermo Dei nõ exciderit, verum necessario implebitur, nempe si non in omnibus, at certe in ijs qui sunt*

veri Israelitæ veri filij Abrahæ à Deo electi. Subindicat nanque duplices esse Israelitas, duplices item filios Abrahæ: alios quidem secundum carnem tantum, alios vero potissimum secundum spiritum. In his demique impletas promissiones, atque ita sermonem Dei minimè excidisse. Obseruanda hic est diligenter copulatio siue πλοκὴ in voce Israel, quæ priore loco significat generaliter omnes qui ex Abraham sunt secundum carnem quamlibet alioquin degenerantes, quos mox quasi per interpretationem vocat semen Abrahæ: posteriore loco significat tantum veros, non degenerantes, & vt supra cap. 4. dictũ est, ingredientes vestigijs fidei Abrahæ, quos & hic nominat proprie filios.

7 Sed per Isaac. Valde concisè dicta sunt omnia, sed nos operam dabimus, vt quiuis mentẽ Apostoli assequatur. Declarare igitur volens duplices esse Israelitas, atq; ex his quosdam tãtum participes fieri promissionum, reliquos vero excludi, duas adfert luculẽtas probationes, quarum hæc prior est ab exemplo ducta, in hanc sententiam.

Abraham habuit duos filios, Ismaelem videlicet & Isaac.

Atqui ex his duobus constitutus est hæres Isaac, non Ismael, & ad Isaac pertinuerunt promissiones, non ad Ismaelem.

Igitur

Igitur non omnes qui originem trahunt ex Abraham ſecundum carnem, ſunt filij ſiue hæredes promiſſionum.

De maiore abunde liquet ex ſacra hiſtoria. Minorẽ de prærogatiua ſiue electione Iſaac probat duplici ſcripturæ teſtimonio. Alterum eſt ex Geneſi 21. Per Iſaac nominabitur tibi ſemen, id eſt, Iſaac erit patriarcha, per eum augebitur poſteritas, ab eo deſcendet ſemen benedictũ &c. Alterum ſonat quod Iſaac fuerit diuinitus promiſſus, vt ſingulariter promiſſionum particeps futurus. Gen. 18. In tempore &c. Porrò ſi tale diſcrimen extitit in filijs Abrahæ ipſo adhuc ſuperſtite, quid mirum ſi par diſcrimen conſtituatur in eius tot retro ſeculis ſecuta poſteritate?

10 Non ſolum autem hoc. *Secunda probatio itidem ſumpta ab exemplo. Quæ & admodum prudenter adiecta eſt. Nam ſuperiorem cauſſati fuiſſent fortaſſe parum firmam, propterea quòd in duobus illis fratribus magna extiterit imparitas, altero nato ex ancilla, altero nato ex libera, at vero in præſenti exemplo nulla talis moſtrari poteſt æqualitas, ſed omnia ſunt paria, ambo ex eodem patre, ex eadem matre, adde & eodem partu editi. Qui poſſet æqualitas maior inuentri? Sic autem ratiocinatur.*

Rebecca libera duos concepit filios, atque

eodem tempore enixa est, Esau inquam & Iacob.

Et tamen Iacob prælatus est Esau, licet primogenito, & ad Iacob peruenerunt promissiones non ad Esau.

Igitur non omnes qui originem trahunt ex Abraham secundum carnem sunt filij siue electi, vt hæreditatem diuinarum promissionum accipiant.

Maior nota est. Minorem de præeminentia Iacob probat iterum duplici scripturæ testimonio. Prius est ex Gen. 25. quo Deus ante etiam quàm in lucẽ ederentur, prænũciat matri: Maiorem, Esau inquam, seruiturum minori, Iacob. Alterum ex Malach. 1. Iacob dilexi &c. Atq; ita ex duabus hisce probationibus palam fit, duplices esse Israelitas, & in veris quidem promissiones Dei verè adimpletas. Tametsi. n. nequaquã ad omnes, sed tãtũ ad quosdã electos promissionũ diuinarum fructus redierint, comperitur certe Deus quantum promissionum eius poscit formula, tantum fideliter præstitisse. Hæc igitur ad cõprobandum quod quantumuis pauci Iudæi per Christum salutem adipiscantur, sermo Dei tamẽ non exciderit, sufficiunt.

11 Vt secundum electionem. *Hæc verba: Vt secundũ electionem propositum Dei maneret, nõ ex operibus, sed ex vocãte: sunt, vt dilucidior*

euadat

enadat Apostoli sententia, è medio orationis eximenda, tanquam si per parenthesin forent interposita. Enimuero verbis hisce descendit Apostolus ad explicandas electionis seu reiectionis caussas. Mens quidē humana audiens ex duobus per omnia prope inter se paribus, quales erant duo fratres proximo exemplo propositi, vnum eligi, alterum reiici, non potest apprehendere qua ratione id queat fieri. Atqui Apostolus duas omnino caussas manifestas profert, alterā primariā & principalem ex parte Dei, alteram modo quodā concurrentem ex parte hominum. Ex parte quidē Dei, caussam electionis seu reprobationis ait, Dei propositum, id est, bonam & liberam Dei voluntatē, quæ manere debet, nec immutari vnquam potest. Quos hac ratione Deus semel elegit, necessum est, nulla etiam facta in ijsdem æstimatione operum, electos manere. Neq; enim in hominum viribus est, vt electionem operibus vllis promereantur. Eliguntur nanq; à Deo homines, priusquam nascantur, priusquam boni aut mali quicquam agant, nempe vt Ephesio. 1. dicitur, ante iacta fundamenta mundi.

14 Quid igitur dicemus. *Obiectio. Quando ita asseritur Deum è duobus per omnia paribus, vnum eligere, alterum reprobare, nulla habita ratione, boni ne an mali quicquā fecerint: carnalis ratio vehementer secum miratur, &*

cogitat Deum videri hac in parte iniustum, maximè quòd ad facta non respiciat, vt pro horum dignitate paria paribus remuneret.

Absit. 15. Nam Mosi. *Respondet, primum simpliciter negando, quòd Deus vlla in re possit iniusticiæ insimulari. Deinde apta partitione satisfacit, in hunc modum:*

Si Deus aliquem eligit, amplissimam exerit suam misericordiam: sin aliquem reprobat, id quoque certo ac iusto facit consilio, nempe ad potentiæ & gloriæ suæ illustrationem.

Atqui quod Deus vult, maximeq; quod ad misericordiam, potentiam, gloriam eius celebrandam tendit, nos nõ possumus nisi iustum censere.

Igitur siue eligat Deus aliquem, siue reprobet, non potest dici iniustè agere.

Quòd autem Deus eligendo quempiam ostendat suam misericordiam, probatur verbis ipsius Dei ad Mosen populo deprecantem Exod. 33. Miserebor cuiuscunque misereor &c. Ex quibus clare conficitur, vbi aliquis eligitur, nequaquam fieri id propter voluntatem aut conatum hominis (cursum nanque posuit per metaphoram pro omni studio omnibusq; conatibus) sed propter solam gratuitam Dei misericordiam. Quod vero Deus reprobando aliquem, ostendat suam potentiam & gloriam similiter

liquet

liquet ex cap. Exod. 9. vbi Deus ad Pharaonem: In hoc excitaui te &c. Ex quo infertur, dum reprobatur aliquis, fieri id, quia Dominus destinarit potentiam aut gloriam suam per illum aliquo modo celebrẽ reddere. In summa, vt quispiam eligatur aut induretur ex solius Dei bona pendet voluntate, quam accusare iniusticiæ nefas fuerit. Tantundem enim posterior illatio sibi vult: Itaque cui vult miseretur, & quem vult indurat. Nam vtrique membro & probationi, tam de electione, inquam, quàm de reprobatione hæc verba subseruiunt. Porrò ex reprobatione Pharaonis potentia & gloria Domini egregiè illustrata est, quando illo omnibus viribus coactis cupiente opprimere electum populum, Dominus hunc mirabiliter liberauit, illum mirabilius perdidit: quorum neutrum sanè fuisset perfectũ, si Pharao prius non fuisset, Domino sapienter ordinante, induratus.

19 Dices ergo mihi? Quid, *Alia obiectio rursus ex proximis verbis concepta. Si sola Dei voluntate homines indurãtur, quid habet Deus causæ cur tales condemnet? Non est in eorundẽ potestate vt aliter sese gerant, quàm ipsi visum fuerit. Quamobrem cum tales perdit, reuera videtur adhuc iniustè agere.*

20 Atqui ô homo. *Respondet Apostolus non negando quòd voluntate Dei omnia fiant,*

sed negando quòd iniustè fiant, id quod sequentia verba satis declarant. Primum autem reijcit insulsam obiectionem graui increpatione, quam ducit ex collatione hominis cum Deo: Atqui ô homo &c. Increpationem mox confirmat similitudine. Cui protinus annectit pleniorem similitudinem quæ non obscurè demonstrat, Deum quomodocunque agat, hoc est, siue eligat siue reprobet, minimè accusandum iniusticiæ. Annon habet potestatem figulus, inquit &c. Sed enim quia argumentum à simili raro æstimatur firmum (tritum nanq; est, similitudinem omnem claudicare) addit insuper rationem sumptam à caussis finalibus, quæ in voluntate diuina spectari debent. Eam rationem hoc pacto volumus crassius reddere.

Quando Deus facit quæ conducunt ad illustrandam suam siue potentiam atque iram, siue gratiam & misericordiam, nõ est dicendus iniustè agere.

Atqui quando alios reprobat, alios eligit, conducit illud quidem ad illustrandam eius iram & potentiam, istud vero ad illustrandam eius gloriam & misericordiam.

Ergo siue aliquos reprobet siue aliquos eligat, non est dicendus iniustè agere.

Maiorẽ nemo non cõcedet. Minor quam Apostolus suis expressit verbis manifesta euadit ex diluti-

dilutione obiectionis præcedentis, in qua ea de re extant ipsius Dei verba. Est autẽ oratio Apostoli ecliptica, vtpote cui necessariò subiungendum: Nũ propterea dicendus erit Deus iniustè agere?

24 Quos & vocauit. *Illatio.* Posteaquam enim abunde probatum est, bona ac iusta Dei voluntate fieri, quod aliqui eligantur, aliqui reprobentur, iã ex his omnibus infert quod ad præsentem caussam attinet: qua ratione Deus iam diu ante ex posteritate Abrahæ alios elegit, alios autem reprobauit, eadem prorsus ratione nũc quoque quosdam per ipsum reprobari, quosdam vero eligi, & non tantum eligi ex Iudæis, verũ etiam ex Gentibus, quos nimirum ei visum est secundum bonum propositum participes facere Euangelicarum promissionum. Attexit vero hæc præcedentibus quadam illationis forma, tametsi adeo concisè, abruptèq; loquens, vt quomodo cõnecti vel quomodo separari ab antecedentibus hæc verba debeant, egrè perspicias. Quos præparatos videlicet in vasa misericordiæ, & vocauit ad percipiendos fructus Euangelij, nimirum nos (quoscunque vnà secum electos intelligit) non solum ex Iudæis, verum etiam ex Gentibus, Dicẽdo vero quosdam vocari adhuc ex Iudæis, necnon hos præponendo Gentibus, suum erga Iudæos beneuolum adfectum testatur, tum modis omnibus cauet, ne irritabiles eorundem animos

exasperet.

25 Quemadmodum & Osee. *Ne autem putaretur parum aptè accommodare præsenti causæ, quæ de electione & reprobatione dicta fuerant, producit in medium Prophetarum vaticinia, quibus apertè prænunciarunt Gentes ad participationem Euangelicarum promissionum vocandas, Iudæos vero à participatione earundem excludendos, saltem perpaucos fore consortes. Vaticinium de vocatione Gentium adfert ex Oseæ. 2. de reiectione autem Iudæorum, siue de reliquijs tantum seruandis, Ex Esa. 10. & 1. Hucusq; de prima & principali caussa electionis seu reprobationis ex parte Dei.*

30 Quid igitur dicemus? *Sequitur altera caussa ad electionem seu reprobationem ex parte hominum modo quodam concurrens. Hanc vero innuit esse fidem, siue incredulitatem. Enimuero qui credit, acceptus Deo est atq; habet vitam æternam: qui non credit, à Deo reijcitur, ac iam iudicatus est. Exprimit autem hanc caussam, quemadmodum optimè conuenire arbitrabatur negocio quo de agitur. Gentes ait reuelato nunc Euangelio apprehendisse iusticiã fide: Iusticiam, inquit, quæ est ex fide: Iudæos vero non assecutos iusticiam, quia non fide apprehendere eam, sed tanquam operib. legis promereri voluerunt. Vbi perspicuè duo collocat cõtraria, velle iustificari*

sari fide, & velle iustificari tanquam ex operibus: quorum illud quidem causſa eſt (quanta, inquam, ex parte noſtra ſpectari vtcunq; poteſt) cur apud Deum iuſtificemur, alterum cur à vera iuſticia excludamur, ac tandem pereamus. Accedit vero Apoſtolus ad explicationem huius cauſſæ, tanquam reſpiciens ad teſtimonia proximè addita, in quibus cum apertè definitum ſit, Gentes quæ non erant populus eligendas in populum, ex Iudæis vero tantum reliquias quaſdam debere ſalutem conſequi: nunc per communicationem, & tanquam concludere volens, exiſtimansq; ſtatim omnes lubenter adſtipulaturos, rogat, dicens: Quid igitur ex illis colligemus? Q.d. Ex iis quæ dicta ſunt, nonne planum fit, Gẽtes bona voluntate Dei nunc eligi, ac diuinarum promiſſionum fieri participes, è diuerſo autem Iudæos reprobari? Porro his non cõtentus voluit oportunè eademq; opera cauſſam quæ ex parte hominum adelectionem ſeu reprobationem modo quodam concurrit, interſerere. Quod quomodo factum ſit iam indicauimus. Hoc igitur pacto manifeſta euadit Apoſtoli ſententia. Elegans comprimis contentio eſt, qua opponit Gentes non ſectantes iuſticiam, & tamen iuſticiam aſſecutas, Iudæis ſectantibus iuſticiam, atq; interim iuſticiam nõ aſſecutis. Par etiã gratia ineſt verbis quibus dicitur, Iudæos per legem iuſti-

cia ad legem iusticiæ non peruenisse. Copulatio enim est, cum priore loco, lex iusticiæ pro externa iusticia legali, & ex operibus legis expectanda ponatur, posteriore pro interna atque absoluta iusticia coram Deo, quæ propria est Euangelij, & non ex operibus legis, sed ex fide proueniens.

32 Impegerunt enim in lapidem. *Confirmatio eius quòd de causſa ruinæ Iudæorum quandoquidem credere in Christum detrectarunt, dicere ceperat, ex Iesai. 28. Ad sensum magis respexit quàm ad Prophetæ verba, secutusq; est LXX. interpretes.*

1 Fratres propensa quidem. *Plenius expositurus hanc causſam reiectionis Iudæorum ex parte ipsorum iterum prudenter suam erga ipsos beneuolentiam prædicat, ne odio siue corruptis adfectibus quicquam dicere existimetur.*

2 Testimonium enim illis perhibeo. *Iam quomodo sua culpa reiecti sunt exponit. Et partim vt præcauens ne exasperaret Iudæos, partim vt vehementer dolens eorum vicem, primũ largitur illis excellens legis studiũ, deinde errare ait in delectu seu iudicio, adeo vt translatione Rhetorica conferre videatur crimen in ignorantiam. Quod & subiecta probatio arguit: Nam ignorantes, inquit, Dei iusticiam & propriam iustici-*

iustitiam quærentes cõstituere, iustitiæ Dei non fuerunt subditi. Id est: putantes se bene facere si propriam iustitiam in externis legis operibus sitam constituerent, à iustitia Dei se excluserũt. Sic autem Apostolus alibi se quoq; per ignorantiam ait peccasse, & Christus prædixerat futurum, vt putarent se persequẽdo sanctos, obsequiũ præstare Deo. Neq; credibile est nisi paucos ex certa peccasse malicia, & veritatem agnitam oppugnasse.

4 Nam perfectio legis. *Ratio quare constituendo propriam iustitiam, iustitiæ Dei subditi non fuerint. Voluerunt quidem Iudæi iustitiam quandam proprio iudicio cõstituere, in externa videlicet legis obedientia externisq; operibus sitam: atqui Deus constituit iustitiam in solo Christo ad quem lex tanquam pædagogus nos deducit, vt nimirum agnita nostra imbecillitate in perficiendis legis officijs, discamus & credamus, nos propter illum iustificandos, cuius iustitia potest sarcire quod iustitiæ nostræ deest. Porrò qui hanc iustitiam oblatam propter Christum nolunt fide apprehendere, sed magis ad propriam quandam iustitiam ex suis operibus adspirant, ij iustitiæ Dei se non submittunt, ideoque ceu contemnentes Deum, merito reprobantur.*

5 Moses enim scribit. *Vt clarius perci-*

piatur quomodo lapsi sint Iudæi, & quàm iustè à Deo reprobentur, ob oculos ponit euidens discrimen inter iusticiam operum legis, quam Iudæi amplectebantur, & iusticiam fidei, quæ proponitur in Euangelio, atq; à Iudæis respuebatur. Utranq; vero iusticiã describit verbis ipsius Mosis, ne si aliorum tantum adferret sententias, peruicaces aduersarij caussarentur, non audiendas quatenus contra legis dignitatem aliquid in specie mpronunciant. De iusticia ergo legis sic ait Mosen scripsisse Leuit. 18. Qui fecerit ea homo, viuet per illa. Vnde hanc ab vnoquoq; vult colligi sententiam.

Qui fecerit ea quæ in lege scripta sunt, viuet per illa.

Atqui quæ in lege scripta sunt nemo exacte & secundum ipsam legis mentem perficit,

Igitur nemo per ea viuet, siue iusticiam ex illis assequetur.

Est ratio ab impossibili, clare demonstrans, tum ob difficultatem legis, tum ob hominum imbecillitatem impossibile esse vt quis ex operibus legis iustificetur. Ergo quàm rectè faciant, qui iusticiam ex lege volunt sibi vendicare. Rursus de iusticia per fidem, quæ offertur in Euangelio, sic idem Moses ait Deut. 30. Adscribemus locum integrũ vt in Mose habetur. Præceptũ istud quod ego præcipio tibi hodie, non est

mira-

mirabiliter ſupra te, nec procul poſitum. Non eſt in cœlis, vt dicas: quis ex nobis aſcendet in cœlum & deferet ipſum ad nos, faciet q̃ nos audire illud vt faciamus ipſum. Nec eſt vltra mare, vt dicas: quis ex nobis perget vltra mare, & portabit illud ad nos faciat q̃ nos audire illud vt faciamus ipſum. Sed valde propinquum eſt tibi, verbum in ore tuo & in corde tuo. Hæc ibi. Iam vide quanam ratione Apoſtolus ea accommodet inſtituto de iuſtitia fidei. Animaduertebat ante omnia ibi ſermonem haberi de facilitate conſequendæ ſalutis, qua de re Moſen loqui nulla eſt dubitatio. Rurſus cõſiderabat, illam facilitatem nõ poſſe conſiſtere, ſi de operibus legis exacte præſtandis quis vellet interpretari, cum palam ſit impoſſibile eſſe vt humanis viribus lex ad amuſſim impleatur, ac proinde impoſſibile quoque vt per legis opera paretur ſalus. Quamobrem oculos mentis intentiſſimè cõuertit ad illa poſtrema, quibus dicitur: Verbum ſalutis eſſe in ore & in corde, ac ſtatim apud ſe iudicauit neceſſario de fide promiſſæ miſericordiæ propter Chriſtum (ad quem tanquam ſcopum oportet ſcripturarũ interpretem omnia quæ in lege extant, dirigere) totum locum accipiendum. Fidem enim eſſe quæ in corde ſedem habeat, & quam deceat ore confiteri: fidem eſſe per quam legi poſſit ſatisfieri. Recitatis igitur præ-

cipuis verbis Moſe, protinus per interpretationem ſubijcit. Verbum quod Moſes ait eſſe in ore & in corde, eſt, inquit, ipſiſſimum verbum quod nos prædicamus. Nempe ſi confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum & credideris in corde tuo quòd Deus illum excitauit à mortuis, ſaluus eris. Q.d. Tum quidem faciliter legem ſecundum Moſi ſententiam impleueris, vbi corde credideris, necnon ore confeſſus fueris. Hoc pacto arbitror vnicuiq; præſentẽ locum eſſe peruium. Caterum pariunt adhuc aliquantam obſcuritatem, illa quæ Apoſtolus Moſi verbis interſpergit, quando ait: Quis aſcendet in cœlum? Hoc eſt Chriſtum ex alto deducere. Aut quis deſcendet in abyſſum: Hoc eſt Chriſtum ex mortuis reducere. At mea quidem ſententia Apoſtolus nihil aliud quàm rebus difficilimis & nobis impoſſibilibus opponit res maximas à Chriſto peractas, mortem inquam & reſurrectionem eiuſdem, propter quas duas res, omnia quæ ſalutis ſunt, redduntur nobis facilia, quæ aliâs prorſus erãt impoſſibilia. Eritq; hic ſenſus: Ne quaſi deſperans de ſalute dicas in corde tuo: Quis aſcẽdet in cœlum? Hoc enim nequaquam à te exigitur, liberatus es hac moleſtia quando Chriſtus dignatus eſt tua cauſſa è cœlo ad te deſcẽdere. Neque dicas: Quis deſcendet in abyſſum? Sublata eſt talis moleſtia, per Chriſti ex mortuis atque

inſe-

inferis resurrectionem. Tu vide agnoscas Christum pro te per mortem humiliatum, agnoscas eundem pro te à morte suscitatum & glorificatum, & omnia in promptu sunt ad salutem necessaria. Hoc inquam verbum habe in ore tuo & in corde tuo, id est, corde credas, ore autem confitearis, & saluus eris. Hæc mihi videtur germana Apostoli sententia, quem apparet accuratius respicientem ad locutiones de ascensu in cœlum, & de descensu in abyssum, voluisse obiter de facilitate obtinendæ salutis quam Christus nobis parauit, aliquid interponere, adeoq; causas notare, ob quas nequaquam opus foret tãtas ascendẽdi ac descendendi subire molestias. Atq; ita clausulis hisce de actionibus Christi, oratio Mosi de facilitate obtinendæ salutis, nõ parum expolitur atq; illustratur. Iam vero ex istis vtriusq; iusticiæ descriptionibus, conuenit intelligere, Iudæos quandoquidem iusticiã illam legis, per quam iustificari coram Deo est impossibile, potius amplexati sunt, quàm iusticiam fidei, per quã ipsis in Euangelio offertur misericordia, modo in Christum credant, immo hanc iusticiam fidei modis omnibus auersantur, grauissime errare, necnon merito à Deo reiici.

11 Dicit enim scriptura. *Confirmare cupiens suam interpretationem: qua dixit, corde credi ad iusticiam, repetit testimonium ex Iesaia*

ad finem capitis antecedentis semel prolatum. Hactenus de reiectione Iudæorum, vbi abunde expositum: etiam si perpauci Iudæi salutem per Christum consequantur, nihilominus promissiones Dei adimpletas: præterea vero duabus de caussis Iudæos iuste reiici, altera quidem & principali ex parte Dei, bona inquam ac iusta Dei voluntate, altera concurrente ex parte ipsorum Iudæorum, nempe eorundem incredulitate.

CONFIRMATIONIS *pars altera, De vocatione Gentium.*

12 Non enim est distinctio, vel Iudæi, vel Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se.

13 Quisquis enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

14 Quomodo igitur inuocabunt eum, in quem non credi derunt? Quomodo autem credent ei, de quo non audierũt? Quomodo autem audient absque prædicante?

15 Quo-

15 Quomodo autem prædicabunt, niſi miſſi fuerint? Sicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona.

16 At non omnes obedierunt Euãgelio. Eſaias enim dicit: Domine quis credidit ſermonibus noſtris?

17 Ergo fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei.

18 Sed dico: an non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrarum verba illorum.

19 Sed dico: Nunquid non cognouit Iſrael? Primus Moſes dicit: Ego ad æmulationem prouocabo vos per gentẽ, quæ non eſt gens, per gentem ſtultã, ad iram commouebo vos.

20 Eſaias autem poſt hunc audet, ac dicit: Inuentus fui his, qui me nõ quærebant, conſpicuus factus ſum his, qui de me non interrogabant.

21 Aduerſus Iſrael autẽ dicit: Toto die expandi manus meas ad populũ nõ

credentem, & contradicentem.

12 *Ventum nunc est ad partem secundã confirmationis in qua disseritur de vocatione Gentium, quæ in locũ Iudæorũ sunt quodãmodo suffectæ. Transit autem ad hãc Apostolus veluti occasione arrepta ex nota vniuersali præcedentis testimonij Esaiæ, & constituit, primum iustitiam Dei generaliter omnibus illis contingere quicunque in Christum credunt. Quo sanè semel ita vniuersaliter posito, ad asserendum vocationem Gentium, via vtcunque strata est. Est igitur huius partis propositio. Non est distinctio vel Iudæi vel Græci. Hoc est: ad Græcos sine ad gentiles perinde pertinet euangelium cum suis promissionibus, atq; ad Iudæos.*

Nam idem Dominus. *Sequuntur aliquot valida argumenta. Habetur enim hic propositionis ratio seu potius primum argumentum cõfirmans propositionem, sumptum à Domini potentia & beneuolentia erga omnes ex æquo homines. Inuocantes per metonymiam dixit pro credentibus, effectum pro caussa. Neq; enim quisquam rectè inuocat, nisi qui credit se & audiendum & salutem assecuturum.*

13 Quisquis enim inuocauerit. *Secundũ argumentũ ex Ioelis. 2. In quo præcipue vrgetur nota vniuersalis quemadmodum licet vide-*

re

re Acto. 2. in oratione Petri.

14 Quomodo igitur inuocabunt. *Rationis confirmatio siue tertium argumentum tractum ex verbis testimonij Ioelis per gradationẽ. Colligit enim ex ijs vt omnes Deum rite inuocare possint, euangeliũ necessario omnibus etiam gentibus esse prædicãdũ, præterea peraque necessarium vt constituantur per quos Euangelium omnibus Gentibus annuncietur. Nam hæc duo simul, præsenti gradatione, si bene expendimus, conficiuntur. Reddetur sententia apertior si sublatis interrogationũ formulis, hoc pacto gradationem resoluamus.*

Vt aliqui Deum inuocent oportet prius credant.

Vt credant, oportet prius audiant Euangelium.

Vt audiant, oportet esse qui doceant.

Vt autem aliqui doceant, oportet eos à Deo mitti.

Igitur fides est ex auditu, auditus autem per verbũ Dei, hoc est, vt omnes credant atq; inuocent Deum, necessum est Euãgeliũ prius audiant doceantur q;, præterea necessum est quosdam à Deo cõstitui qui verbũ seu Euangeliũ synceriter doceãt. Atq; hac argumentatione ducta à caussa finali seu effectu fidei tendẽte ad Dei gloriam, pariter euincit: Gentibus communicandum esse

Euangelium: & suum Apostolatum ad Gentes egregiè tuetur, aduersus eos qui contendebant, neque ad Gentes Euangelium debuisse perferri, neque Paulum obtinuisse iustum Apostolatus titulũ, quod sane ex priore membro sequi videbatur. Porrò ante conclusionem quædem obiter admiscet. Et primo locum ex Esaiæ. 52. quo munus suum Apostolicum seu ministerium Verbi voluit breuiter commendare. Secundo per præoccupationem adiecit huiusmodi obiectiũculam. Quorsum attinebit ô Paule omnibus annunciare Euangelium, si non est spes omnes obeditur os? Respondet ex Esai. 53. à propheta longe ante præuisum, perpaucos fore qui Euangelium reciperent, at propterea ijs haud quaquam cessandũ, quibus Euangelium prædicare incumbit. Vbi tacitè suggerit Apostolus prædictum fuisse, quod omni tempore perpauci forent qui Euangelium ex animo amplecterentur.

18 Sed dico: An non audierunt? *Quartũ argumentum sumptum ab eo quòd Gentes antea quoque semper habuerint præclaram diuinæ bonitatis cognitionem. Quo argumento haud dubiè Iudæorum malitiæ plenam retũdit inuidiam. Quare, inquit, hic tantopere offendimini ac ringimini, semper conantes modis omnibus impedire, ne Euangelium communicetur Gentibus? An existimatis Gentes nunquam antea de bonitate*

Dei

Dei quicquam audiuisse? Atqui Psalmographus diserte testatur quicquid cognosci de Deo potest, vel ex ipsa conditione rerum visibilium quæ in mundo sunt ab omnibus mortalibus exploratum abundè teneri. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba illorum. Cur ergo nũc prohibeãtur cognitionem aliquanto pleniorem assequi? Quis iure vetet eos proficere? Hac interpretatione retinebitur germana verborum Psalmographi sententia: si interpretari velis aliter, detorta protinus omnia apparebunt.

19 Sed dico: Nũquid nõ cognouit. *Quintum argumentum, à testimonio propriæ Iudæorũ conscientiæ. Conuincit enim eos non posse ignorare quod Euangelicæ promissiones aliquando forent Gentibus offerẽdæ, cum ea de re grauissimas & apertissimas haberent in libris Prophetarum suorum conciones, nulli non notas. Est q̃, sententia: An non Israel longe ante per prophetas fuit præmonitus, futurum aliquando vt propter detestandam suam ingratitudinem atque incredulitatem à Deo reijcerentur: alius vero populus alacri & grato animo amplectens Euangelium atque in Christum credens eligeretur? Ea de re duo apertissima vaticinia principum prophetarum continuo producit in medium. Prius ex Mose Deutero. 32. de reiectione Iudæorum*

propter peccata ſua, et vocatione Gentium, ſimpliciſſimè diſſerens. Alterum ex Eſaia 65. de Gentibus lubenter ſuſcipientibus Euangelium, et de Iudæis id aſpernantibus atque oppugnantibus. Apud Eſaiam coniuncta ſunt, quæ Apoſtolus docendi cauſſa diſtinxit. Vtrobique cauſſa reiectionis Iudæorum ex parte ipſorum notatur. Ex his igitur manifeſtum fit, Gentes à Deo vocari, ac proinde Euangelium omniaq; beneficia ſpiritualia per Chriſtum allata ijs iam fieri communia. Atque ita confirmatio ſuis partibus abſoluta eſt.

CONFVTATIO.

Cap. XI.

DICO igitur: num repulit Deus populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abrahæ, tribus Beniamin.

2 Non repulit Deus populum ſuum, quem ante agnouerat. An neſcitis, de Elia quid dicat ſcriptura? Quomodo interpellat apud Deum aduerſus Iſrael, dicens:

3 Domi-

3 Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua ſubruerunt, & ego relictus ſui ſolus, & inſidiantur vitæ meæ.

4 Sed quid dicit ei diuinum reſponſum? Reliqui mihijpſi ſeptem millia virorum, qui non inflexerunt genu imagini Baal.

5 Sic igitur & in hoc tempore, reliquiæ ſecundum electionem gratiæ fuerunt.

6 Quod ſi per gratiam, non iam ex operibus. Quandoquidem gratia, iam non eſt gratia. Sin ex operibus, iam non eſt gratia. Quandoquidem opus, nõ iam eſt opus.

7 Quid igitur? Quod quærit Iſrael, hoc nõ aſſecutus eſt, ſed electio cõſecuta eſt: reliqui vero excæcati ſunt.

8 Quemadmodum ſcriptum eſt: Dedit eis Deus ſpiritum compunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant, vſq; ad hodiernũ diem.

9 Et Dauid dicit: Vertatur menſa

illorum in laqueum, & in captionem, & in offendiculum, & in retaliationem ipsis.

10 Obtenebrentur oculi eorum, vt non videant, & tergum illorum semper incurua.

Sequuntur nonnulla quæ non incommodè pro Confutatione accipi queant. Diluuntur enim hic quædam obiectiones quæ contra hactenus definita proferri per aduersarios poterant, siue respondetur ad quæstiones quas Iudæorum aliqui querulantes, animisq; anxij videbantur moturi. Prima igitur obiectio siue quæstio sic habet. Quando ad eum modum asseritur Gentibus impendi promissiones Euangelicas, adeoq; Gentes quæ antea non erant populus iam in populum adsciſci: contrà, Iudæos qui erãt populus nunc reijci: sequi hinc videtur quòd Israelitæ simpliciter desinant esse populus, ideoq; omnes in vniuersum nunc sint à Deo reprobati. Istud autem siue de Dei bonitate, siue de Israelitis sentire, multis profectò de causſis absurdum fuerit.

1 Absit. Nam & ego. *Respondet negatiuè, addit probationẽ à suo ipsius exemplo. Ex qua constituit mox propositionem obiectioni directè respondentem: Deus non repulit populum suum*

quem

quem ante agnouerat.

2 An nescitis de Elia. *Confirmatio propositionis ab exemplo valde illustri de temporibus Eliæ, quod habetur 1. Reg. 19. Ex quo aptissimè ratiocinatur: sicut tunc relicti fuerunt permulti electi qui à vera religione nunquam defecerunt, ita nunc quoque (loquitur enim de tempore quo ista scribebantur) superesse ex Israelitis permultos electos qui per gratiam Dei salui fient. Reuocat autem prudenter in memoriam, electionis caussam, nempe gratiam Dei, idque ne operum meritis electio tribueretur.*

6 Quod si per gratiam. *Oportune simúlq; argutè hac addit ad amplificandum Dei gratiã, siue ad exponendũ reliquias saluas fore, secundũ electionẽ gratuitam. Ratiocinatur autem à natura contrariorum, quorum alterum si ponatur, necessario alterum tollitur. Tanquam si dicat.*

Oportet seruari hominem aut gratia aut operibus.

Atqui seruatur per gratiam,

Igitur nullo modo per opera.

Quod si velis etiam opera esse adiuncta, sequitur sanè gratiam illam non propriè dici gratiam, sed potius appellandam mercedem siue præmium, quandoquidem habet adiuncta opera & merita. Sin autem dicas hominem seruari operibus, tunc quidem gratia nullum habitura locum est. Aut

certe si huic adhuc locum aliquem das, tum opus non erit propriè opus, vtpote cui adiuncta sit & gratia. Conficitur ergo sola gratia homines eligi, atque opera in caussa electionis nihil efficere.

7 Quid igitur? Quod quærit. *Illatio seu conclusio. Ex iis enim quæ ad obiectionem dicta sunt colligit, licet Israelitæ omnes ad salutẽ magno zelo contendant, non omnes tamen eam consequuturos, sed tantum quosdam electos, reliquis in cæcitate permanentibus, & reprobatis. Ac ne posteriore hoc membro conclusionis vlli offenderentur, protinus adiungit scripturæ testimonia, quæ excæcationem illam & modum & caussam eiusdem manifestissimè declarant. Primum ex Esaiæ 6. Secundum ex Psal. iuxta Hebræos. 69. In quibus locis excæcationis caussa notatur ex parte Dei, quod obseruasse proderit ad melius percipiendum sequentia. Videtur etiam studio dixisse Apostolus: electionem esse consecutam, & non: electos esse consecutos: quòd in priore forma aliquo modo notetur solam electionem esse salutis caussam, nulla qualitatum quæ in electis considerari possunt, habita ratione.*

11 Dico igitur: Num ideo impegerunt, vt conciderent? Absit. Sed per lapsum illorum salus contigit Gentibus,

in hoc,

in hoc, vt eos ad æmulandum prouocaret.

12 Quod si lapsus illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio illorum, diuitiæ gentium: quanto magis plenitudo illorum.

13 Vobis enim dico Gentibus: quatenus ego quidem sum Apostolus gentium: ministerium meum illustro.

14 Si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos reddam nonnullos ex illis.

15 Nam si reiectio illorum est reconciliatio mundi, quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis?

16 Quod si primitiæ sanctæ, sancta est & conspersio. Et si radix sancta, sancti erunt & rami.

11 Obiectio, siue quæstio altera. Cum paulo ante dictum sit, quo tẽpore ista scribebantur, tantum reliquias quasdã superfuisse seruandas, proximis autẽ testimoniis scripturarum denunciata videatur Iudæis extrema & æterna pernities, vnde certe boni & pij qui ex illis adhuc supererant, nõ modo offendi, verumetiã ad desperatio-

nem adigi potuissent: hinc oritur quæstio, num ita nunc impegerint in lapidem Christum, sicque excæcati sint, vt post aliquantum temporis prorsus concidere & perire cæteri omnes debeant, nulla salutis spe, sequutura posteritati relicta? Sicuti priore obiectione agebatur de Iudæis qui tunc adhunc supererant, ita hac agitur de posteritate ventura.

Absit. Sed per lapsum. *Respondet, non sic intelligendum lapsum Iudæorum eius temporis, quasi posteri illorum succedentibus sæculis non possent salutem consequi, immo certum esse, plurimos omni tempore ex illis fore adhuc seruandos. Idq; statim manifestis aliquot rationibus facit probabile. Quarum prima est à caussa finali, à Deo in vocatione Gentium ordinata, in hanc sententiam. Lapsus Iudæorum cessit Gentibus ad salutem, vtpote quæ in locum illorum successerunt, fructus promissionum Euangelicarum accipientes: sed id ordinauit Deus ita perficiendum, vt Iudæi videntes salutem sibi promissam impendi Gentibus, quadam zelotypia permoti, ad credendum, & salutem per fidem accipiendam exemplo Gentium prouocarentur: igitur certum esse debet, multos adhuc Iudæos hac occasione salutem in posterum consecuturos. Mira prudentia excerpsit rationem hanc Apostolus ex verbis Dei supra citatis ex Deut. 32.*

Ego

Ego ad æmulationem prouocabo vos per gentem quæ non est gens, &c.

12 Quod si lapsus illorum. *Secunda ratio ab vtilitate quæ ex restitutione Iudæorum ad Gentes esset peruentura. Sumptaq; est ex eo quod proxime dixit, lapsum Iudæorum cessisse ad vtilitatem Gentilium. Hinc sic argumentatur à minore ad maius, & per cõtrarium. Si ex lapsu Iudæorum magna secuta est toto mundo vtilitas, nõ dubium quin longè ampliſſima sequutura sit vtilitas ex eorundem restitutione. Igitur propter huiusmodi incomparabilem vtilitatem ad omnes deriuandam, certo statui debet, plurimos ex Iudæis salutem per Euangelium posteris sæculis consecuturos. Intelligere verò oportet Deum nihil omittere velle quod ad Ecclesiæ commodum & sui nominis gloriam nouit cõducere. Cæterum non exprimit vtilitatem quæ ad Gentiles ex cõuersione Iudæorum dimanabit, ni fallor, quia satis in conspectu erat posita. Quis enim non videt Gentiles ex conuersione Iudæorum mirum in modum in fide confirmandos, sublatis videlicet omnibus illis scrupis atq; offendiculis, quæ ex Iudæorum in Euangelium & Christum odio prius orta noscuntur? Hinc concordia illa diuersissimorum populorum in vnam Ecclesiam coëuntium diruto simultatis pariete, de quo Ephes. 2, cui non erit multo iucũdissima? quantum deniq; toti Ec-*

cleſiæ ſuccedet inde incrementum, & cum incremento ornamentum?

13 Vobis enim dico Gentibus. *Tertia ratio à ſigno, hoc eſt, à ſuo in docendis Gentibus ſtudio. Ait enim, ſe vel ideo plus laboris ac diligentiæ in docendis Gentibus ſuæ fidei commiſſis inſumere, vt ſuos Iudæos ea ratione, ſi fieri queat, ad æmulandum ac recipiendum Euangelium prouocet. Ita ſuum ſtudium ac diligentiam vult haberi pro certo argumento, quòd de reſtitutione Iudæorum bene ſperet, alios q3 ſimiliter bene ſperare deceat. Ac merito quidem ipſe ita ſperare poterat, cui myſterium de reſtitutione Iudæorum fuerat patefactũ, ſicut paulo poſt audiemus. Addit canſſam tanti ſtudij, deductam ex ratione ſecunda, proxime audita. Nam ſi reiectio, inquit, illorum eſt reconciliatio mundi, quæ erit aſſumptio &c. Subeſt egregia ſimilitudo, vbi ait: aſſumptionem Iudæorum eſſe vitam ex mortuis. Significat nanque Iudæorum aſſumptionem poſt excæcationem, perinde fore præclaram ſeu optabilem, atque ſi qui ex triſti morte reſtituerentur vitæ. Neque nouum eſt, in ſcripturis, eos qui à peccatis ad fidem meliorémque vitam redeunt, dici à morte ad vitam reſuſcitatos. De tali enim morte & reuiuiſcentia quædam habuimus cap. 6.*

16 Quod ſi primitiæ ſanctæ. *Quarta ratio*

ratio quod bene ſperandum de Iudæis, ſumpta ab antecedentibus, vel potius à fœlicitate ſanctorum patrum ad quos promiſſiones factæ ſunt. Debet autem ſententia erui ex allegoriis, ſiue ſimilitudinibus, hoc pacto. Quemadmodum vbi primitiæ ſanctificatæ ſunt intelligitur ſanctificata & conſperſio: atque vbi bene habet radix bene ſuccedit etiam ramis: ſic ſtatuendum eſt, vbi tot electi fuerunt patres (qui ſunt quaſi primitiæ populi & quaſi radix) ibi quoque electos eſſe plurimos ex poſteris. Prior ſimilitudo petita eſt à ritu ſacrarum oblationum, quo cum offerebantur fructuum quorumcunque primitiæ, ſanctificati intelligebãtur omnes fructus reliqui. Poſterior ex re ruſtica. Poſſet interea hæc ratio ex eo ſtabiliri, quòd ſæpe in ſcripturis legatur Deus benefacere poſteris propter patres, vel potius propter promiſſiones ad Abraham, Dauid, & ſimiles patres factas. Hucuſque Confutatio.

CONCLVSIO.

17 QVOD ſi nonnulli rami defracti ſunt, tu vero cum eſſes oleaſter, inſitus fuiſti illis, & conſors radicis,

& pinguetudinis oleæ factus es,

18 Ne glorieris aduersus ramos: quod si gloriaris, nō tu radicem portas, sed radix te.

19 Dices igitur: Defracti sunt rami, vt ego insererer.

20 Bene dicis: per incredulitatem defracti sunt, tu vero fide constitisti. Ne efferaris animo, sed timeas.

21 Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne qua fiat, vt nec tibi parcat.

22 Ecce igitur bonitatem ac seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem, in te verò bonitatem, si permanseris in bonitate. Quoniam & tu excideris:

23 Et illi rursum si nō permanserint in incredulitate, inserentur. Potest enim Deus denuo inserere illos.

24 Etenim si tu ex naturali exectus es oleastro, & præter naturam insitus es in verā oleā, quanto magis hi qui naturales sunt, inserentur propriæ oleæ.

25 Non

25 Non enim volo vos ignorare fratres mysterium hoc, vt ne sitis apud vosmetipsos elati animo, quod excæcatio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit.

26 Et sic totus Israel saluus erit: Sicut scriptum est: Aduenier ex Sion ille qui liberat, & auertet impietates à Iacob.

27 Et hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata ipsorum.

28 Secundum Euangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem dilecti, propter patres.

29 Nam dona quidem & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorum illum pœnitere non possit.

30 Quemadmodũ enim & vos quõdam increduli fuistis Deo, nunc autem misericordiam estis consecuti, per illorum incredulitatem.

31 Sic & isti nunc increduli facti sunt, ex eo quod vos misericordiam estis adepti, vt & ipsi misericordiam consequantur.

32 Concluſit enim Deus omnes ſub incredulitatẽ, vt omnium miſereretur.

33 O profunditatem diuitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ eius.

34 Quis enim cognouit mentẽ Domini? Aut quis illi fuit à conſilijs?

35 Aut quis prior dedit illi, & reddetur ei?

36 Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia, ipſi gloria in ſæcula. Amen.

17 Hæc eſt vniuerſæ diſputationis Concluſio, eaq́, quemadmodum aliàs ſolet Apoſtolus facere, hortatoria. Neq, enim hic amplius docet, ſed orationem totam ad Gentes cõuertens, ſapienter monet ne ob electionem ſuam efferatur, aut Iudæos quia reiecti ſunt contemnant: maximè cum & Iudæorum plurimi ſalutem ſint adhuc per Euangelium conſecuturi, Gentes vero iterum poſſent, ſi Deo ita viſum foret, reprobari. Hæc totius exhortationis ſumma eſt, verum vſum tam ſublimis diſputationis rectiſſimè demonſtrans, & ad alendam in Eccleſia concordiam, necnon illiciendos Iudæos ad Euangelij agnitionem vehemẽter conducens,

ducens, vt valde salutariter, nec minus sapienter subiectam esse quiuis possit iudicare. Proinde hæc est exhortationis propositio. Quod si nonnulli rami defracti &c. Si oculate intuearis in similitudinem ex re rustica, de arbore olea, eiusq; radice, & ramis nonnullis abscissis, tum de surculis oleastri, qui in locum abscissorum ramorum inseruntur, nulla te difficultas remorabitur. Apparet Apostolum delectatum præcedenti similitudine de radice & ramis permotum fuisse, vt in hac exhortatione pleniorē eadem ex similitudine orationem institueret, præsertim cum videret negocio quod agitur mire accommodam. Aduerte interea statim in ipsa propositione quædam ad cohibendum Gentilem ne cōtra Iudæum tumide efferatur, artificiosissime enūciari. Eiusmodi est quod ait: tantum nonnullos Iudaicos ramos defractos, non omnes: deinde Gentiles non fuisse nisi abiectos oleastros: tum radicis & pinguedinis oleæ nunc primum factos participes. Quæ profecto non sunt Gentili oscitanter prætereunda, necnon vt secum habitare & curtam suam supellectilē nosse velit, probè monent.

18 Quod si gloriaris. *Propositioni subiiciūtur rationes suasoriæ. Estq; hæc prima ab absurdo, siue ab eo quòd bona acceperimus à Iudæis, ipsi vero nihil à nobis. Hic enim est verborum sensus. Sicut valde absurdum foret ramos superbire cō-*

tra radices, ita absurdum est te Gentilem efferri contra Iudæos, quorum patres sunt veluti radices, à quibus ad te, qui es tantum surculus nuper insitus, promissiones, doctrina, oracula, succus veræ pietatis, & quicquid denique huiusmodi est quo spiritualiter vegetaris derivantur, ipsi interim à te prorsus nihil accipiunt. Igitur vide etiam atque etiam ne temere eos præ te contemnas.

19 Dices igitur, Defracti sunt. *Gētilis personam introducit, pro se quod ad maximam gloriam facere videbatur, fastuose iactantem. Quā gloriandi materiam apparet ex verbis Apostoli quibus supra dictum est, per lapsum Iudæorum, salutem obvenisse Gentibus, potuisse arripere.*

20 Bene dicis: per incredulí. *Respondet Apostolus, & concessione Rhetorica aliquid in speciem largitur, simulq; causas reiectionis seu electionis ex parte hominum concurrentes commemorat, quæ vidētur dignitatem aliquam Gentili adferre: sed addit nondum esse sufficientem caussam vnde is superbiat, Iudæosq; præ se fastidiat: immo potius debere adhuc ruinam metuere. Et certe vbi ipsa electio gratuita est, vbi item ipsa fides Dei donum est, vnde obsecro Gentilis electus gloriam aliquam sibi vendicaret? Verum ipsius Apostoli rationes audiamus.*

21 Nam si Deus. *Ratio quare nō gloriandū,*

sed

sed timẽdum, Nam Gentiles possent denuo reijci, ac Iudæi vice versa rursus inseri. Vtrunq; probat aliquot euidentibus argumentis. Quod enim Gẽtiles possent reijci, statim astruere incipit, hac prima ratione sumta à formidabili exemplo ruinæ Iudæorum, argumentans à maiore ad minus, persistens præterea in similitudine semel posita. Cæterum propter nonnulla quæ in hanc sententiã de ruina & reiectione electis metuenda sequuntur, notandum est, cum hoc pacto singulari numero, tanquam ad vnum aliquem electum, dicũtur omnia, prodesse quidem eam orationis formã ad commouendum singulos vt exhortationem istam accipiant quasi ad se priuatim pertinentem: verum inde nequaquam colligi debere, eos ipsos qui semel electi à Deo fuerint, denuo posse reprobari. Nam isthuc impossibile & à veritate alienissimum est. Quamobrem quæ deinceps vt ad vnum electum dicuntur de metuenda reiectione non accipientur de ipso electo singulariter, sed vniuersaliter de electo populo è quo prodijt. Eritq; tum eorum quæ hic dicuntur sensus: Quemadmodum nunc reiectus est populus Iudaicus qui tamen electus fuerat: ita posse adhuc fieri vt aliquando reijciatur populus Gentilis qui nunc electus est. Alioquin singulos electos de populo Iudaico, vel de populo Gentili, reprobari, impossibile planè est. Ad hũc, inquam, modum si quicquid

de ruina metuenda electis sequitur, non de singulis electis, sed de populo ex quo descendunt interpreteris, multis te molestijs liberaueris. Hoc minimè prætereundum duximus.

22 Ecce igitur bonitatem. *Secunda ratio probans quòd Gentiles possent reijci, sumta ab eo quod electio aut reprobatio pẽdeat ex sola libera voluntate Dei, qua prout ac visum ipsi fuerit aut bonitatem aut seueritatem suam conspicuam facere, alios modo eligit, alios modo reprobat. Qua de re dictum fusius cap. 9. Ad hanc vnam igitur Dei voluntatẽ omissis omnibus vult vnumquẽq; oculos inflectere. Certissimumq; est quiid fecerit, inueniet Gentiles, qua ratione nuper sunt electi, eadem posse iterũ reijci, ac proinde nihil esse vnde ob electionem suam Gentilis quispiam efferatur, aut Iudæos quasi reprobatos contemnat.*

Si permanseris in bonitate. *Tertia ratio à metu periculi quod imminet ex parte nostra. Videtur enim innuere, quod etiã si de bona Dei erga nos voluntate essemus omnino certi, posse interim aliquãdo fieri vt nostri apte culpa aliquid obueniat quo reiectionẽ promereamur. Si enim nos non permanserimus in bonitate, id est electioni & vocationi nostræ nõ studuerimus respondere, Dei misericordiam in nobis per fidem agnoscendo, & quæ misericordiam consecutos decent præstando: tum sane ob nostram culpam ex olea excidemur.*

Quam-

Quamobrem Gentiles qui nunc sunt populus electus denuo posse reijci indubitatum est.

23 Et illi rursum, si non. *Iam probabit quod Iudæi denuo possint inseri. Id posse fieri primo insinuat proponendo quod ex parte ipsorum ad id requiritur: nempe si ab incredulitate redeuntes, fidem Euangelicam amplectantur. Quam probationem apparet primo loco constitutam, quod per contrarium sequatur eam quæ proximè pro probatione tertia fuit posita.*

Potest enim Deus. *Secunda ratio à Dei potentia cui nihil impossible vel difficile. Qua simul occurritur ei quod forte dicturus erat quispiam ad rationem præcedentẽ, non esse videlicet in hominum viribus pro arbitrio credere, neque posse homines electionem suam promereri. Ad hæc, & quascunq; eius farinæ cauillationes satis est dicere, quòd Deus possit omnia, quòd possit eligere, quod possit dare facultatem credendi Euangelio, necnon in fide constantiam ad finem vsq;. Et hoc argumentum oppositum videtur illi quod secũdo loco habebatur de voluntate Dei, ex qua electionem aut reprobationem nostram potissimũ dependere, necessum est fateamur.*

24 Etenim si tu ex naturali. *Tertia ratio ab exemplo electionis ipsorum Gentilium, argumẽto ducto à minore ad maius. Atq; hæc ratio opponitur ei quæ ordine prima fuerat, de exemplo*

videlicet ruinæ Iudæorum. Relinquitur ergo, vbi palam est Gentiles posse denuo reijci, è diuerso autem Iudæos posse denuo eligi, nihil esse causſæ cur Gentilis quispiam ob suam electionem immodestè glorietur, aut Iudæos quasi prorsus reprobatos præ se fastidiat, quin potius Dei seuerissimum iudicium debet omni tempore metuere, diligenterq; dare operam vt electioni & vocationi suæ omni ex parte respondeat.

25 Non enim volo vos ignorare) Non amplius argumenta adfert probantia quod posset fieri Iudæorum restitutio, sed simpliciter pronunciat, & sine vlla dubitatione futurum id definit. Deq; ea re ait se arcanum & paucis mortalium notam velle aperire sententiam, quàm à Deo ipso acceperit. Estq; hic verborum Apostoli sensus. Non possum fratres quin ad coërcẽdam vestram insolentiam qua ob electionem immodicè gloriari pergitis, Iudæos verò quasi prorsus perditos aspernamini, mysterium, id est, rem singularẽ atq; arcanam vobis detegam. Ideo quidem Israëlitarum magna pars nunc est excæcata, vt nimirum hac occasione Gentes in locũ illorũ veluti subrogatæ, salutem adipiscantur. At certũ interea est, quamdiu vllæ Gentes fructuum Euangelij erunt participes, tãdiu quoque aliquos semper fore ex Iudæis qui fidem in Christum amplectentur, nec non promissionum Euangelicarum similiter consortes

sortes erunt, atq; ita magna Israelitarũ pars salua adhuc fiet. Particula, ex parte, multitudinẽ indicat. Donec, quamdiu. Totũ Israel, posuit pro magna parte Israelis, sicut & plenitudinem Gẽtium pro magna parte Gentiũ. Atq; hæc sententia mysterium reuera magnum dignationis Dei erga Iudæos continet. Quod enim ex ijs quos propter ingratitudinem & peccata secũdum seueritatem iudicij sui merito erat reiecturus, immo debuerat funditus delere, velit non modo superesse aliquos, verum etiã plurimos salutis in Euangelio exhibitæ fieri participes, nonne est id valde mirabile, & insignis beneuolentiæ erga eam gẽtem manifestum argumẽtũ? Cæterum res ipsa declarat mysterij huius veritatẽ, quando semper inueniuntur alicubi quidam ex Iudæis qui æmulatione quadã ad recipiendũ Euangelium Christi prouocãtur, & plures, ni fallor, inuenirentur, nisi multis locis nostrorum hominum fastus & crudelitas eos impediret. Non dubium quin Apostolus eo lubentius mysterium istud in lucem protulerit, quòd iudicauit id conducibile ad excitandos Iudæos vt ad Euangelium recipiendum alacriter properarent.

26 Sicut scriptum est: Aduenier. *Ne quis mysterium quod retulit suspectũ habeat, vel quacunq; ratione vilipẽdat, adducit testimonium ex Esa. 59. quo illius veritas egregiè stabilitur.*

27 Et hoc illis à me. *Q.d. Tunc quidem erit completum fœdus inter Deum & populũ, vbi ille semper aliquos ex ijs elegerit, quibus peccata remittet, fructusq; Euangelij impartiet. Videtur interpretationis caussa adiectum, cum in Esaia non legatur: nisi quis malit sumptum ex Hiere. 31. vbi tale quiddam occurrit.*

28 Secundũ Euangelium quidem. *Omnibus quæ de gente Iudaica hactenus dicta sunt ritè pensiculatis, colligit summatim quadam distinctione quid de Iudæis sentiendum sit. Definit partim quidẽ esse Deo inuisos, partim valde adhuc caros. Si enim eos cõsideramus vt auersantur & persequũtur Euangeliũ, sanè hac ex parte sunt Deo vehemẽter exosi: idq; vt hac occasione vos Gentes salutẽ nanciscamini: sin eos cõsideramus, vt membra electi quondam populi, sunt hac ex parte plurimi adhuc inter illos oppido chari, idq; propter sanctos patres quibus Deus promisit se fore Deum ipsorum & seminis ipsorum. Quod cum ita sit, cauebũt qui nunc ex Gentilibus electi sunt, ne contra illos superbè erigantur.*

29 Nam dona quidem. *Confirmatio, quòd semper erunt aliqui ex Iudæis Deo chari, sumta à Dei promissionibus, siue ab immutabili eius voluntate. Quam confirmationem apparet esse additam ad precauendum, ne quis simpliciter propter patres esse Deo charos posteros opinaretur,*

quemad-

quemadmodum Iudæi fiducia ſanctorum Patrum ſuorum mirum in modum ſemper turgebant. Eſtq; ſententia. Erunt quidem ſemper aliqui ex Iudæis electi, id autem, non adeo propter dignitatem Patrum, ſed magis propter Dei promiſſiones ad patres factas, quas is vult implere etiam erga degenerantes poſteros, vel ob id quod promiſſis gaudet ſtare, & ſententiam nequaquam mutat.

30 Quemadmodum enim & vos. *Illatio, qua à pari ratiocinans, concludit certiſſimũ omnino eſſe, vt quemadmodũ olim Gentiles fuerunt increduli, poſtea verò miſericordiam ſunt conſecuti: ita nunc quoque Iudæos factos incredulos, ſed procul dubio ſuo tempore iterum miſericordiam conſecuturos. Et hanc concluſionem breui epiphonemate confirmat, ſumpto à cauſſa finali ob quam homines à Deo in incredulitatem detruduntur. Tãquam ſi dicat. Hac de cauſſa Deus omnes homines detrudit & concludit in incredulitatem ac peccata, vt poſtea agnoſcentes ſuam miſeriam recipiat iterum in gratiam, idq; faciendo ſuam bonitatem & potentiam illuſtriorem reddat. Quamobrem ſicut antea concluſerat in incredulitatem Gentiles, & iam miſerẽdo illorum, bonitatis et potentiæ laudem ſibi ampliſſimã peperit: ita nunc quoq; conſilio ſingulari detruſi ſunt à Deo in incredulitatem Iudæi, vt ipſe*

eorum iterum misereatur, atq; ita longè ampliorem quàm antea misericordiæ & potentiæ gloriam sibi paret

33 O profunditatem diuitiarũ. *Respiciens partim ad totius disputationis de negocio electionis & reprobationis sublimitatem, partim ad perdifficilem caussam finalem quam proximè attigit & consultum iudicans non progredi vlterius in tractatione eiusmodi rerum longè supra humanũ captum positarum, per exclamationes orationem suam abrumpit, atq; ita finem imponit. Sunt autẽ eiusmodi exclamationes, quæ omnem humanam arrogantiam multo grauissimè retundunt, diuinam verò potentiam mirificè extollunt, atq; ob id caussæ quæ agitur, longe aptissimæ.*

36 Ipsi gloria. *Comprecatio in fine orationum Apostolo non infrequens.*

TERTIA PARS EPISTOLÆ

continens præcepta de iustificatorum vita in charitate atq; omnis generis bonis operibus transigenda.

EXORDIVM SEV

potius exhortatio generalis.

CAPVT XII.

OBSECRO igitur vos fratres per miserationes Dei, vt præbeatis corpora

pora vestra, hostiam viuẽtem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum vestrum.

2 Et ne accommodetis vos ad figuram seculi huius, sed transformemini per renouationem mentis vestræ, vt probetis, quę sit voluntas Dei, quod bonum est, acceptumque & perfectum.

1 Quemadmodum prima parte complexus est Apostolus præclaram doctrinã de fide & quomodo homines fide iustificentur: ita hac tertia parte exponet doctrinam de charitate, siue quomodo iustificatorum vitam in charitate transigi oporteat. Propterea enim fide iustificantur homines ac donãtur spiritu sancto, vt deinceps per cõtinua charitatis in Deum & proximum exercitia fidem suam testatam faciant. Neque enim potest vera fides qua quis semel iustificatus est, manere ociosa, sed necessario statim & assidue per dilectionem operatur. Quod vsque adeo verum ac ratum est, vt si quis fidem suam ceu egregiam iactitare, aut fide se iustificatum Deiq; donatum spiritu gloriari velit, interea tamen ad spiritus perscriptum nequaquam viuat, bonis operibus suam vocationem ac iustificationem firmam seu βεβαίαν quemadmodum D. Petrus loquitur fa-

ciendo: hic in eorum numero agnosci haud possit qui germana ac viua fide sunt præditi, sed mortuam tantũ & inanem, qualem in dæmoniis quoq; spectari testatur Iacobus, circumferre intelligetur. Atq; hoc illud est quod tot exhortationes, tot præcepta de bonis operibus in Apostolicis scriptis obuia sibi volunt, nimirum ad iustificatos omnia pertinent, quos conuenit impulsu atque ope spiritus sancti quem in iustificatione per fidem adepti sunt, bonis actionibus sine intermissione occupatos teneri. Quem profectus nostri in rebus spiritualibus ordinem probe animaduertit Augustinus dicens, non posse recte viuere & bene operari nisi iustificatos ex fide, ideoque præcipi vt credamus, vt dono accepto spiritus sancti per dilectionem bene operari possimus. Ad Simplicianũ lib. 1. quæst. 2. Siquidẽ vt idem argute ait libro de fide & operibus cap. 14. bona opera non præcedunt iustificandos, sed sequuntur iustificatos. In quam sententiam plurima scitè, sanctè ac proprie iuxta Apostoli mentem dicta in eiusdem beatissimi patris immo & aliorum sanctorum patrum libris reperias. Eam igitur ob causſam atque eo consilio Apostolus, non modo in præsenti epistola verum in reliquis propè omnibus, hanc docendi viam obseruat, vt primo loco explicet doctrinam de iustificatione per fidem, secundo de iustificatorum vita per charitatem, procul dubio vt hoc pacto

res

res omnes ad salutem humanã necessarias exactè tradidisse agnoscatur, necnon totum hominẽ internum, inquam, & externum, quãtum in terris fieri queat, perfectũ in Christo Iesu reddat. Quãto autem pauciores omni tẽpore inueniuntur, qui doctrinam de iustificatione per fidem absq; operibus rectè intelligunt, aut recte ea vtuntur: tanto magis necessarium est omni tempore hanc partem de vita iustificatorum per charitatem diligẽter vrgeri. Plurimi enim non hodie modo, verum etiam Apostolo adhuc superstite & concionante (videre id licet supra in confutatione, obiectionibus tertia & quarta) simul atque audiunt asseri iustificationem hominis per fidem gratis absque operibus, siue quemadmodũ ex patribus, Origenes, Basilius, Chrysostomus, Hilarius, Ambrosius, Primasius, Theophylactus, atq; alij quidã interdum locuti sunt, sola fide: statim suspicantur hoc reuera agi, vt à bonis operibus, non dico remissio, sed plane cessatio quaedam publica introducatur, adeóque licenter ac scelerate viuẽdi defendatur audacia. Atqui nihil minus ô bone hic agitur. Apostolus & quotquot Apostolicæ doctrinæ regulã sibi sequendã proponunt, asseuerant quidem homines gratis & absque operibus fide iustificari, at interim à iustificatis protinus omnis generis bona opera in omnem vitam seuerissimè exigunt, necnon fidẽ habere aut in fidei iustificatione

perſiſtere eos negant & pernegant, in quibus ex radice fidei bonorum operũ fructus ad Dei gloriam & ædificationem proximi pullulantes, non conſpiciuntur. Hunc ſane in modum quicunque Apoſtoli & ſanctorum patrum ſententias acceperint, ij meo iudicio, dextere & non modo citra offenſionem, verum etiam ingenti cum fructu, de iuſtificatione per fidem abſq; operibus verba facient, Sed ad Apoſtolum regrediamur. In prima parte, maximéq; in confutatione & concluſione aliquoties, ſed paucis, & tantũ in genere dictum eſt, fide iuſtificatos debere deinceps iuſticiæ & ſecundum ſpiritum non ſecundum carnem viuere: nunc vero eidem argumento copioſius exactiusq; tractando iuſtam Epiſtolæ partem dicat. Quemadmodum autem iuſticiæ ſiue charitatis variæ ſunt officia, deinde ex his Eccleſiæ Romanæ ſtatus forte poſcebat quadã præ cæteris maiori ſedulitate vrgeri: ita in diuerſos locos de diuerſis charitatis officiis pars hæc diſtributa eſt, quos in progreſſu vbi ab vno ad alium fiet tranſitus, quàm fieri poterit cõmodiſſimè diſtinguemus. Ante omnia vero credẽtes vniuerſos generaliter hortatur atq; obſecrat ita actiones ſuas per omnẽ vitam inſtituant, quemadmodũ norunt Deũ velle exigeréq; Dũ corpora vult offerri Deo, intelligit corporales externásq; actiones, cum omnibus etiam animæ viribus quæ in organis corporũ ſedẽ habẽt,

ſic

sic componi debere ad præscriptum legis spiritus vitæ, vt Deo per omnia placeant, perinde atque sacrificia quondam ex præscripto legis literæ offerri solita placere credebantur. Alludit nanque ad ritum deligendi offerẽdas hostias, quas viuas, mundas, sanas, integras iuxta legis edictum esse oportebat.

2 Et ne accommodetis. *Quia allusio in præcedentibus verbis parere videbatur nonnihil obscuritatis, sententiam alijs verbis & citra figuram exponit, necnon contentione illustrat. Respicit, ni fallor, ad ea quæ supra cap. 6. de vitæ innouatione dicta sunt. Sic autem decebat primo loco omnes vitæ actiones ad regulam voluntatis Dei examinari, necnon ad gloriam eiusdem dirigi. Quamobrem hic fundamentum piarum actionum ritè monstratum iactumq; esse, non abs re dixerimus. Sequuntur loci alioquot speciales, tunc in Ecclesia Romana cognitu obseruatúque maxime necessarij.*

3 Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, cuilibet versanti inter vos, ne quis arroganter de se sentiat, supra quã oportet de se sentire, sed ita sentiat, vt modestus sit & sobrius, vt cuique Deus partitus est mensuram fidei.

perſiſtere eos negant & pernegant, in quibus ex radice fidei bonorum operũ fructus ad Dei gloriam & ædificationem proximi pullulantes, non conſpiciuntur. Hunc ſane in modum quicunque Apoſtoli & ſanctorum patrum ſententias acceperint, ij meo iudicio, dextere & non modo citra offenſionem, verum etiam ingenti cum fructu, de iuſtificatione per fidem abſq; operibus verba facient, Sed ad Apoſtolum regrediamur. In prima parte, maximéq; in confutatione & concluſione aliquoties, ſed paucis, & tantũ in genere dictum eſt, fide iuſtificatos debere deinceps iuſticiæ & ſecundum ſpiritum non ſecundum carnem viuere: nunc vero eidem argumento copioſius exactiusq; tractando iuſtam Epiſtolæ partem dicat. Quemadmodum autem iuſticiæ ſiue charitatis varia ſunt officia, deinde ex his Eccleſiæ Romanæ ſtatus forte poſcebat quædã præ cæteris maiori ſedulitate vrgeri: ita in diuerſos locos de diuerſis charitatis officiis pars hæc diſtributa eſt, quos in progreſſu vbi ab vno ad alium fiet tranſitus, quàm fieri poterit cõmodiſſimè diſtinguemus. Ante omnia vero credẽtes vniuerſos generaliter hortatur atq; obſecrat ita actiones ſuas per omnẽ vitam inſtituant, quemadmodũ norunt Deũ velle exigeréq;. Dũ corpora vult offerri Deo, intelligit corporales externásq; actiones, cum omnibus etiam animæ viribus quæ in organis corporũ ſedẽ habẽt,

ſic

sic componi debere ad præscriptum legis spiritus vitæ, vt Deo per omnia placeant, perinde atque sacrificia quondam ex præscripto legis literæ offerri solita placere credebantur. Alludit nanque ad ritum deligendi offerẽdas hostias, quas viuas, mundas, sanas, integras iuxta legis edictum esse oportebat.

2 Et ne accommodetis. *Quia allusio in præcedentibus verbis parere videbatur nonnihil obscuritatis, sententiam alijs verbis & citra figuram exponit, necnon contentione illustrat. Respicit, ni fallor, ad ea quæ supra cap. 6. de vitæ innouatione dicta sunt. Sic autem decebat primo loco omnes vitæ actiones ad regulam voluntatis Dei examinari, necnon ad gloriam eiusdem dirigi. Quamobrem hic fundamentum piarum actionum ritè monstratum iactumq; esse, non abs re dixerimus. Sequuntur loci alioquot speciales, tunc in Ecclesia Romana cognitu obseruatúque maxime necessarij.*

3 Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, cuilibet versanti inter vos, ne quis arroganter de se sentiat, supra quã oportet de se sentire, sed ita sentiat, vt modestus sit & sobrius, vt cuique Deus partitus est mensuram fidei.

Quemadmodum.n.in vno corpore mẽbra multa habemus, mẽbra vero omnia non eundem habent actum:

5 Sic multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſingulatim autem alij aliorum membra,

6 Sed tamen habentes dona iuxta gratiam datam nobis varia: ſiue prophetiam iuxta portionem fidei,

7 Siue miniſterium in adminiſtratione, ſiue qui docet in doctrina,

8 Siue qui exhortatur in exhortatione, qui impertit in ſimplicitate, qui præeſt in diligentia, qui miſeretur in hilaritate.

9 Dilectio ſit non ſimulata. Sitis odio proſequentes quod malum eſt, adhærentes ei quod bonum eſt.

10 Per fraternã charitatem, ad mutuo vos diligendos propenſi, honore alius alium præuenientes:

11 Studio non pigri, ſpiritu feruentes, tempori ſeruientes,

12 Spe gaudentes, in afflictione patientes,

tientes, precationi inſtantes,

13 Neceſſitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes.

14 Bene loquamini de his, qui vos inſectantur, bene loquamini, inquam, & ne male precemini.

15 Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus:

16 Eodem animo alij in alios affecti, non arroganter de vobiſipſis ſentiẽtes, ſed humilibus vos accõmodantes. Ne ſitis arrogantes apud voſmetipſos,

17 Neque cuiquam malũ pro malo reddatis. Proinde parantes honeſta in conſpectu omnium hominum,

18 Si fieri poteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus in pace viuentes,

19 Non voſmetipſos vlciſcentes dilecti, quin potius date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vltio, ego rependam, dicit Dominus.

20 Si igitur eſurit inimicus tuus, paſce illum: ſi ſitit, da illi potum. Hoc

enim si feceris, carbones ignis coacer-
uabis in caput illius.

21 Ne vincaris à malo, imò vince
bono malum.

3 Primus Locus de alenda pace, & concordia, tam cum fratribus quam cum extraneis, id est, à religione nostra alienis atq; hostibus. Occasio tractãdi huius loci facile intelligitur. Quomodo enim incolumis persistat ecclesia, præsertim ex omni hominũ genere collecta qualis tum erat Romæ, nisi credentes alendæ inter sese concordiæ rationem diligentem habeant? Omnium vero minime possent credentes successum experiri, si cum aduersarijs religionis, rixari contentiose aut quouis modo maligne agere vellent. Secatur autem hic locus in duas partes, quarum priore disseritur de pace & concordia credentium inter sese, posteriore de pace cum extraneis. Propositio hæc est: Dico enim per gratiam quæ data est mihi &c. Diserte ait: μὴ ὑπερφονεῖν, notans radicem omnis discordiæ esse curiosam atq; arrogantem sapientiam.

Vt modestus sit. *Modus seu caussa formalis sapiẽtiæ quæ credentes decet, quaq; pax, tum parari, tum seruari inter ipsos queat.*

4 Quemadmodũ enim in vno. *Ratio suasoria à similitudine de membris humani corporis,*

ap-

aptissima ad suadendum vt vnusquisque ea tantum curet quæ suæ vocationi conueniunt, nihilque supra eam affectet, sicut membra in corpore humano singula suo proprio tantum incumbunt officio.

6 Siue prophetiam iuxta. *Per congeriem enumerat varia dona, seu vocationum genera, & quid vnumquodq; deceat, breuiter præscribit. Vide pulcherrimum donorum ordinem, & functionum in Ecclesia admirandam varietatem.*

9 Dilectio sit non simulata. *Plenius describit modum seu caussam formalem charitatis, atq; adeo quidem perspicue vt eadem opera per præoccupationem, obturet illis os qui satis esse putabant externis saltem officiolis charitatem vtcunq; simulare, aut certe prætexere cum supercilio volebant, se non posse ex animo diligere quos compertum haberent vitijs teneri irretitos. Aduerte interea quæ præcesserunt, potissimum pertinuisse ad Ecclesiæ ministros, & in publica functione apud cœtum credentium versantes, quos profecto semper decebat ante alios omnes concordiam studiosissime colere: quæ vero iam sequuntur, generatim omnium ordinum hominibus conuenire.*

10 Ad mutuo vos diligendos. *Addit & signa siue effectus, quibus oportet veram charitatem testatam apud omnes facere.*

14 Bene loquamini de ijs. *Secunda pars*

præsentis loci de alenda pace cum extraneis atq; hostibus, quibuscũ vbiq; erat credentibus eo tempore versandum. Erga hos igitur perinde atq; domesticos charitatem vult Apostolus apertis minimeq; simulatis argumentis declarari. Vnde iterũ de modo & causa formali, necnon effectibus externis q; signis charitatis plura ingeminat.

17 Neque cuiquam malum. Quoniam difficilime potest humana ratio huc adduci vt hostem serio diligat, sed magis ad vindictam adspirat, quam non modo liberam, verum etiam iustam (vt videlicet dentem pro dente, oculum pro oculo reposcendo, par pari vbiq; referatur) existimat, ideo pluribus verbis de non expetenda vindicta disserit.

19 Scriptum est enim: Mihi. Ne vero aut nouum, aut nimis durum, aut certe minus necessarium putaretur quod præscribit, addit eadem de re quædã scripturæ pronunciatã, è quibus prius est ipsius Dei ex Cantico Mosi, Deuter. 32. alterum ex Prouer. 25. Posteriore autem non solum prohibetur vltio, verum etiam, quod magis mirere, præcipitur beneficentia. Verba illa: Carbones coaceruabis in caput illius, prouerbialem locutionem Hebræis redolent. Sententia nanq; est: Tu vres, & quodammodo accendes illius conscientiam, vt tacite sentiat iniquè se egisse, teq; quem læserat, incipiat redamare. Cuiusmodi adfectus

in

in Saule deprehenditur, ad Dauidem qui humaniſſime ei pepercerat, ſic loquente: Iuſtior tu es, inquit, quàm ego &c. 1. Samuel. 24. Rurſum 1. Samuel. 26. Peccaui, reuertere fili mi Dauid.

21 Ne vincaris à malo. *Argutum epiphonema, & ad cõcludendum hunc locum aptiſſimum, vtpote quo omnes generaliter admonentur dare operam, ne à peruerſis ſuis adfectibus hac in parte vincantur. Malum videtur poſitum pro ingenita nobis peruerſitate, qua ad vlciſcendum ſemper ferimur. Hæc de alenda pace ſeu concordia, pariter cum fratribus & cum extraneis.*

Cap. XIII.

OMNIS anima poteſtatibus ſupereminẽtibus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ vero ſunt poteſtates: à Deo ordinatæ ſunt.

2 Itaque quiſquis reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſtiterint, ſibijpſis iudicium accipient.

3 Nam principes non terrori ſunt bene agentibus, ſed male. Vis autem nõ timere poteſtatem? Quod bonum eſt, facito, & feres laudem ab illa.

4 Dei enim miniſter eſt tibi in bonũ.

Quod si feceris id quod malum est, time. Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, vltor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit.

5 Quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram, verum etiam propter conscientiam.

6 Propter hoc enim & vectigalia soluitis. Siquidē ministri Dei sunt, in hoc ipsum incumbentes.

7 Reddite igitur omnibus, quod debetur: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

8 Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, vt inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit.

9 Siquidem illa: Non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod aliud præceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur: nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

10 Dilectio proximo malum non opera-

operatur. Consummatio itaque legis, est dilectio.

1 Secundus locus de obedientia & honore erga Magistratus. Quem duabus potissimum de causis probabile est in hac epistola diligentius quàm alibi tractatum. Prior est quòd Romanis qui ad illud tempus Gentium omnium erant domini, nonnihil suspecti erant adhærentes Euangelio, quasi ij de magistratibus, adeóque de ipso Romanorum imperio non satis honorificè sentirent. Quæ suspicio hinc orta, vel quòd fortassis spargebantur cultores Euangelij aliquod inter sese mussitare mysteriũ de Romani imperij excidio (qua de re nonnihil 2. Thess. 2.) quod tamen æternum fore Deorum oraculis fuerat prædictũ: vel quod constabat plurimum semper illis esse de libertate sermonem, quíque pijs erat de spirituali, eum aduersarij odiosè de libertate carnali & ciuili interpretabantur, tanquam si credentes omnes ad excutiẽdum ubique iugum magistratuum adspirarent. Quod & eo videbatur verosimilius, quo notius erat omnibus paucos ante annos eadem de re disceptationes ac tumultus, in Iudæa (vnde Euãgelium propagari cœptum est) fuisse excitatos, quorum etiam Act. 5. fit mentio. Tantum de priori causa. Altera hæc est. Fieri potest, vt in ipso credentium grege inuenti sint qui

dubitare cœperint, num magistratibus, præsertim quos cernebãt palam impios, & ad religionẽ nostram opprimendam iam vtcunq; enitentes, obediendum foret, aut saltem quatenus iis obediendum, doceri anxie cupiuerint. Apparet eandẽ ob caussam & Petrum voluisse argumentũ hoc explicare. Ergo partim vt apud aduersarios omni suspitione liberarẽtur Euangelij cultores, partim vt hos quomodo erga magistratus vel impios sese gerere debeant, institueret, placuit Apostolo dogma Euangelicũ de obedientia erga magistratus paulo exactius discutere. Est itaq; hæc propositio, generale præceptũ cõtinẽs: Omnis anima potestatibus supereminẽtibus subdita sit. Omnis anima, pro omni homine, more Hebræo per synecdochẽ.

Non enim est potestas. *Prima ratio probans quòd oporteat subdi potestatibus, à caussa efficiente, seu potius à dignitate eius qui potestates omnes instituit.*

Ordinatæ sunt. *Confirmatio, non citra amplificationem. Significat tamque potestates esse à Deo, non quidem simpliciter, aut vti bellum, fames, mors, atque eius generis plura à Deo esse dicuntur, sed singulari prouidentia ordinatas propter multiplices ac graues caussas mortalium generi cum primis vtiles. Ex sequentibus istud clarius intelligetur.*

2 Itaque quisquis. *Secunda ratio probãs potestati*

potestati obediendum, fluensq; ex eo quod proximè dictum est, potestatem esse Dei ordinationem. Quisquis resistit potestati, resistit Dei ordinationi. Sed quicunque resistit Dei ordinationi is iudicium sibiipsi accipiet. Igitur & qui resistit potestati, iudicium sibi ipsi accipiet. Argumentum est à periculoso. Nulla est in partibus difficultas.

3 Nam principes non. *Tertia ratio à fine officij ipsorum magistratuum. Cuius sanè maximam esse vtilitatem demonstrat, vtranque partem huius rationis (prior est, non esse terrori bonis: posterior, esse terrori malis) statim exponẽdo.*

Vis autem non timere. *Expositio prioris partis. Qua etiam sapienter, idq; specie quadam occupationis, præcauet, ne quis cauſſari possit, nimisquã graue esse versari in perpetuo principum timore, maximéque qui plus quàm par est rigidos plerúnque atque inexorabiles sese præbent. Seruitutem, inquiunt respipit, imò puerile nescio quid videtur semper sub virga agere. Cõtra huiusmodi tacitas querelas: Vis, inquit, non timere potestatem? &c.*

4 Dei enim minister. *Ratio quare vtilitas expectanda, à cauſſa finali institutionis magistratuum, potissimumq; officio defendendi & honorandi bonos. Singula verba emphasin habent.*

Quod si feceris. *Expositio posterioris partis, quòd videlicet magistratus sit terrori malis.*

Non enim frustra. *Ratio cur timendus magistratus, à caussa finali institutionis eius, imprimis ab officio sumendi de malis supplicia. Quod officium vocabulo gladij per metonymiam notat.*

Nam Dei minister est. *Rationis confirmatio, eáque non citra occupationem. Existimarent nonnulli inhumanitatem, adeoq; beluinam feritatem apparere in pœnarum & supplicivrum irrogatione: alij vero damnandi puniendiq; ius Deo, ad quem solum id proprie pertinet, temerarie præripi. Definit igitur Apostolus, verum quidem esse, proprie in Deum competere munus puniendi malos, sed ea in parte magistratus esse Dei in terris ministros atque executores.*

5 Quapropter oportet esse. *Conclusio in qua duas potissimum vrget caussas, ob quas potestatibus necessario obediendum, ex iis quæ dicta sunt manifestas. Alteram ab ipsorum officio sumptam, quòd videlicet in legum transgressores & inobedientes severiter animadvertant: alteram ab eo quod omnes certò sciamus eos esse diuinitus ordinatos, necnon Dei ordinationi planè resistere quotquot illis resistunt. Prior ratio cogit vel invitos: posterior omnium animis suggerit, non esse aliquid contra magistratuum leges committendum, etiamsi certo constaret nos manus illorum, alioquin valde longas, posse effugere.*

6 Propter hoc enim & vectigalia. *Confirmatio*

firmatio earundem cauſſarum à ſigno, nempe receptiſſimo, apud omnes gentes iure pendendi vectigalia. Quod ius quare inductum ſit ipſe non tacet. Quia, inquit, miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum incumbentes. Q.d. Recte perpendunt omnes ac fatentur, quantum & quàm vtile ſit humanæ ſocietati Magiſtratuum officium, dum ij pro ſalute hominum ſine intermiſſione inuigilant. Atq; hoc nomine vectigalia haud grauatim omnes illis pendunt. Reſpicit opinor, tum ad ius Regis deſcriptum. 1. Samuel. 8. aliosq; ſcripturæ locos idem approbantes, tum ad leges ciuiles ea de re communi gentium omnium conſenſu receptas. Probabile eſt ſententiam de tributis hac occaſione adiectam, quòd forte mota fuerit aliquando quæſtio: an & quatenus ea pendenda forent. Ipſe autem vt inuitus tractans quæſtionem ſuſpectam, quámque aduerſarij auſi fuiſſent appellare ſeditioſam, voluit vno tantum verbo in concluſione definire: ea iuxta receptiſſimum omnibus gentibus ius eſſe danda, idque pro quadam cõteſtatione obedientiæ magiſtratibus debitæ, ob beneficia quæ per eoſdem in communi vita obueniunt.

7 Reddite igitur omnibus. *Modus ſeu cauſſa formalis obediẽtiæ erga magiſtratus, breuem eorum quæ ſubditi debent magiſtratibus enumerationem comprehendens, & peroportunè ex ſententia de pendendis tributis deducta.*

8 Nemini quicquam debeatis. *Posteaquàm constituit magistratibus reddendum quod ipsis debetur, subiicit breuiter reddendum omnibus in genere quicquid ipsis debetur. Debitũ vero illud esse commune, vt nimirum omnes inuicem sese diligant, & quibuscunq; possunt officiis alter iuuet alterum. Qua ratione videtur insinuare, quod magistratibus dixit impendendum, deberi id iisdem, vel communi lege charitatis: secundum quam cùm debitores simus omnibus, præsertim bene de nobis merentibus, tum vero plurimũ debemus magistratibus, quos de tota hominũ societate multis modis mereri quàm optimè palàm est.*

Nam qui diligit alterum. *Ratio suasoria, ad præstandum ea quæ lege charitatis debentur, impellens, ab effectu atque excellentia charitatis. Significat enim veram charitatem esse eiusmodi vt nihil velit omittere eorum quæ lege præcipiuntur, potissimumq; de officiis quibus iuuatur proximus.*

Siquidem illa: Non. *Probatio quòd tantus sit effectus charitatis, quadam forma inductionis. Vera charitas omnia præcepta legis de iuuando proximo (sicut liquet si quis singula enumeret atque excutiat) in se comprehendit, & nihil vnquam committit quo proximus lædatur.*

10 Consummatio itaque legis. *Illatio, Q.d. Ergo vera charitas omnia cõplectitur, atq;*

etiam

etiam præstat quæ lege præcipiuntur. Ex quo deinceps iterum oportet colligere: secundum communem legem veræ charitatis, cui omnes credentes sunt obstricti, reddendũ esse vnicuique quod ipsi debetur, ac proinde etiam magistratibus. His locus de obedientia erga magistratus absoluitur.

11 Præsertim cum sciamus tẽpus, quod tempestiuum sit, nos iam à somno expergisci. Nunc enim propius adest nobis salus, quã tum, cum credebamus.

12 Nox progressa est, dies autem appropinquat. Abiiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

13 Tanquam in die composite ambulemus, non comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac lasciuiis, non contentione & emulatione.

14 Sed induamini dominum Iesum Christum. Et carnis curam ne agatis ad concupiscentias.

11 Tertius locus in quo breuiter hortatur vt in posterum vitent comessationes, ebrietates, lasciuias, rixas, cõtentiones, & id genus fœda vicia, quæ etiã in alienis ab Euãgelio boni omnes detestãtur. Hæc enim vicia cum ipse mox nominet,

palam est non amplius hic de obediẽtia erga magistratus, sed propriè contra eadem vicia sermonem haberi, etiam si neque transitio, neque propositio vlla clarius tantundem explicans, præfigatur. Egrè quidem apparet quomodo hæc à præcedentibus diuelli queant, sed mirum id videri nequaquam debet, cum Apostolo mos sit partes orationum etiam quas disiungi conuenit arctissime semper copulare, & quasi cathenulis conuincire. Cæterum ideo locum hunc voluit adiicere, quod quidam recepti in ecclesiam, aut veterem consuetudinem non valentes in totum deponere, aut religionis susceptæ dignitatem parum considerantes, eiusmodi vitiis crebro cernerentur adhuc inquinari. Propterea vero paucis prosequitur, quòd hæc vicia modis omnibus esse refugienda, propemodum per se manifestum foret. Orditur ab occasione temporis, q.d. Aliud nunc tempus est, quamobrem oportet etiam vitam aliter componere. Ex iis quæ sequuntur de abiiciẽdis operibus tenebrarum, & induendis armis lucis, pro mutata ratione temporis, satis constare potest, hic initium noui loci esse constituendum. Quod si quis obseruet allegorias seu metaphoras, facile omnia assequetur. Per noctem intelligit tẽpus anteactum, quo nondum adepti fuerant cognitionem Euangelij. Per diem verò tempus quo accessit cognitio Euãgelij, & illuminatio per spiritum

ritum ſanctum, qua profecto ratione optimè poſſunt hæc tempora inter ſe comparari. Nox, inquit, progreſſa eſt, dies autem appropinquat.

Nunc enim propius adeſt. *Ratio quare tempeſtiuum ſit expergiſci, à maiore profectu qui contigit in Euangelio. Hic etiam quædam allegoriarum occurrit interpretatio. Diem enim adeſſe ſignificat, quod nunc propius adſit ſalus noſtra, quàm initio quo primum credere Euangelium q3 amplecti cœperamus.*

12 Abiiciamus igitur opera. *Argumento ab occaſione temporis ſubiicit pleniorem exhortationem, in qua aperte exponit, quomodo à ſomno excitari & quibuſnam vitiis renunciare oporteat. Eleganter vero reſpiciens ad allegoriam noctis ac diei conſtituit opera noctis ſeu tenebrarum (qualia nimirum noctu potiſſimum, pudore omni depoſito, ſolent deſignari) & arma diei ſiue lucis. Tum ſcita metaphora illa abiici vult, hæc vero indui. Inde peraptam adhibet ſimilitudinẽ. Vt eos decet, inquit, qui in die honeſtè volunt ambulare. Quemadmodum qui claro die prodire vult in publicũ, ſtudioſe cauet ne quid in ipſo appareat quo deformetur: ita qui nũc vbi affulſit vndiq; lux Euangelij verſari vult in cœtu credentiũ debet modis omnibus cauere, ne opera tenebrarũ in ipſo conſpiciantur, per quæ ſpiritualis at q3 in animo cõtingit incredibilis deformitas.*

13 Non comessationibus. *Per congeriem aliquot opera tenebrarum enumerat, à quibus omnibus, & paribus quæ oportet subintelligi, eos conatur auocare.*

14 Sed induamini Dominum. *Hoc est: Ita vitam ad mores in conspectu omnium, & ad ædificationem omnium componite, vt totos vos in Christo esse omnes intelligant. Respicit quidem ad metaphoram de induendis armis lucis, sed interea cum amplificatione quadam asserit, non tantum induendas nouas virtutes, sed induendum ipsum Christum, verarum virtutum absolutissimum exemplar & largitorem.*

Et carnis curam ne. *In summa, breuiter concludit, carni moderate tribuenda esse quæ ad naturæ conseruationem necessaria dignoscuntur, nihil amplius. Si propius respicimus, subest grauis occupatio. Dicturus erat quispiam: Vin tu prohibere, ne comedamus, ne bibamus, ne dormiamus? Breuiter & argutè definit Apostolus: carnis quidem siue corporis habendam esse aliquam curam, nempe vt pro necessitate alatur, atqui nequaquam vt illius concupiscentiis & prauis indulgeatur adfectibus, quod sanè fit comessationes, ebrietates, cubilia, & si quæ eius generis, illi permittendo.*

CAP.

Cap. XIIII.

1 PORRO eum qui infirmatur fide, assumite, non ad diiudicationes disceptationum.

2 Alius quidem credit: vescendum esse quibuslibet: alius autem qui infirmus est, holeribus vescitur,

3 Qui vescitur, non vescentem ne despiciat: & qui non vescitur, vescentem ne iudicet. Deus enim illum assumpsit.

4 Tu quis es, qui iudicas de alieno famulo? Proprio Domino stat, aut cadit, imo fulcietur, vt stet. Potens enim est Deus efficere vt stet.

5 Hic quidē iudicat, diem ad diem conferens: ille autem idem iudicat de quouis die. Vnicuiq; sua mēs satisfaciat.

6 Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diē, Domino nō curat. Qui vescitur, Domino vescitur, gratias enim agit Deo: & qui non vescitur, Domino non vescitur, & gratias agit Deo.

7 Nullus enim nostrum sibiipsi viuit, & nullus sibiipsi moritur.

13 Non comessationibus. *Per congeriem aliquot opera tenebrarum enumerat, à quibus omnibus, & paribus quæ oportet subintelligi, eos conatur auocare.*

14 Sed induamini Dominum. *Hoc est: Ita vitam ad mores in conspectu omnium, & ad ædificationem omnium componite, vt totos vos in Christo esse omnes intelligant. Respicit quidem ad metaphoram de induendis armis lucis, sed interea cum amplificatione quadam asserit, non tantum induendas nouas virtutes, sed induendum ipsum Christum, verarum virtutum absolutissimum exemplar & largitorem.*

Et carnis curam ne. *In summa, breuiter concludit, carnem moderate tribuenda esse quæ ad naturæ conseruationem necessaria dignoscuntur, nihil amplius. Si propius respicimus, subest grauis occupatio. Dicturus erat quispiam: Vin tu prohibere, ne comedamus, ne bibamus, ne dormiamus? Breuiter & argutè definit Apostolus: carnis quidem siue corporis habendam esse aliquam curam, nempe vt pro necessitate alatur, atqui nequaquam vt illius concupiscentiis & prauis indulgeatur adfectibus, quod sanè fit comessationes, ebrietates, cubilia, & si quæ eius generis, illis permittendo.*

CAP.

Cap. XIIII.

1 PORRO eum qui infirmatur fide, assumite, non ad diiudicationes disceptationum.

2 Alius quidem credit: vescendum esse quibuslibet: alius autem qui infirmus est, holeribus vescitur,

3 Qui vescitur, non vescentem ne despiciat: & qui non vescitur, vescentem ne iudicet. Deus enim illum assumpsit.

4 Tu quis es, qui iudicas de alieno famulo? Proprio Domino stat, aut cadit, imo fulcietur, vt stet. Potens enim est Deus efficere vt stet.

5 Hic quidē iudicat, diem ad diem conferens: ille autem idem iudicat de quouis die. Vnicuiq; sua mēs satisfaciat.

6 Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diē, Domino nō curat. Qui vescitur, Domino vescitur, gratias enim agit Deo: & qui non vescitur, Domino non vescitur, & gratias agit Deo.

7 Nullus enim nostrum sibiipsi viuit, & nullus sibiipsi moritur.

8 Nam ſiue viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur. Siue igitur viuamus, ſiue moriamur, Domini ſumus.

9 In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & reuixit, vt mortuis ac viuentibus dominetur.

10 Tu vero cur iudicas fratrem tuum? Aut etiam tu cur deſpicis fratrẽ tuum? Omnes enim ſtatuemur apud tribunal Chriſti.

11 Scriptum eſt enim: Viuo ego, dicit Dominus: Mihi ſeſe flectet omne genu, & omnis lingua cõfitebitur Deo.

12 Igitur vnuſquiſque noſtrum de ſeipſo rationem reddet Deo.

13 Ne poſthac igitur alius alium iudicemus.

1 Quartus locus, de rerum mediarum ſeu indifferẽtium, cuiuſmodi ſunt delectus ciborum, dierum, atque id genus, vſu vel abuſu, hoc eſt, quatenus iis quis rectè vti poſſit, quatenus non poſſit, déque vitandis propter eiuſmodi res contentionibus. De quibus vt ſermonem Apoſtolus inſtitueret, hæc fuit occaſio. Eccleſiæ paſſim mixtæ erant

erant Iudæis & Gentilibus. Ex illis plerique adhuc multa ex lege Mosaica retinebant, veluti delectum ciborum, ferias ac nonnulla eius generis, atque aliqui forte ideo tantum quod à teneris assueuerant. Aliqui vero etiamnum superstitione moti, indignantes insuper quòd cæteri paria nequaquam obseruarẽt, necnon conantes quocunque modo possent alios ad talium obseruationum studium pertrahere. Altera ex parte Gẽtiles, adeoque omnes qui de abrogatione legis libertatéque per Christum parta plenius edocti erant, talia minimè curabant, immo significationem dabant non obscuram, se plane vilipendere, tanquam ad veram pietatem nihil prorsus conducentia, vnde & quibuslibet intrepidè vescebantur, diem à die non discernebant. Interea temporis ex hac opinionis diuersitate, sæpenumero acres contentiones inter fratres exortæ sunt: aliis quidem asserentibus obseruationes illas esse omnino pernecessarias, aliis contrà negantibus: atque illi damnabant hos tanquam prophanos diuinæque legis contemptores: hi vicissim damnabant illos, ceu imperitos, superstitiosos, & quærentes aliorum grauare conscientias. Hinc vero iudicia temeraria, multiplicia offendicula quotidie audiri ac videri necessum erat. Apostolus itaque cupiens hisce malis mederi, in animũ induxit de vsu atque abusu rerum indifferentium paululum disputare, nec-

non quomodo pij in his sese gerere debeant, docere. Nostra tempestate multis in locis, de tribus diebus, aliisq; rebus adiaphoris acerrimas disceptationes motas videre licuit: ad quas dirimendas præsens disputatio salubre consilium suppeditat. Vniuersum autem hunc locum Apostolus docendi ergo in duas secat partes: quarum priore clare & perspicuè definit, quomodo quis eiusmodi indifferẽtibus rectè vtatur, aut rectè etiam prætermittat: posteriore vero, quomodo quis non rectè vtatur, seu qua ratione ex eorundem vsu vel neglectu peccatum proueniat. Priorem partem ita ab exhortatione orditur: Porrò eum qui infirmatur fide, assumite. Ante omnia eos qui robustiores sunt, id est, qui in sana doctrina Euãgelica plus profecerunt, hortatur cæterorum qui nequaquam assecuti sunt parem cognitionem, habeant rationem, neque facile cum istis odiosius bellis de rebus disceptent. Constituit duplex hominum genus, quale & semper est in Ecclesia: alterum eorum qui in sana doctrina Euangelij & fide feliciter promouerunt, ac probe norunt decernere quid ad salutem sit necessarium, quid minus: alterum eorum qui non perinde profecerunt, sed rudes adhuc & imperiti cito recipiunt quæpium aut ad salutem necessarium quicquid vt tale obtruditur. Hæc distinctio considerata, permulta hic conspicua efficiet.

2 Alius

2 Alius quidem credit. *Exemplo aperit, tum quales firmos, & quales infirmos intelligi conueniat, tum quibus de rebus disceptationes enatæ fuerint, nempe de ciborum delectu, atque id genus indifferentibus.*

Qui vescitur, non vescentem. *Vtrique hominum generi quid facere in his debeant præscribit, simulq; desinit iuxta peccare, tam firmiores si videntes fratrem infirmum aliter facere atque ipsi faciunt, propterea eum contemnant: quam infirmiores si videntes tale quippiam fieri à firmiore, statim de hoc sinistrè iudicent, ingens ibi peccatum constituendo, vbi à peritioribus reuera nullum agnoscitur.*

3 Deus enim illum assumpsit. *Ratio quare firmior frater infirmum non contemnet, à Dei erga hunc bonitate qua ipsum vocauit. Q.d. Deus illum assumpsit, quamobrem tu quoque merito eum assumes. Respicit ad vocem assumendi, quæ in propositione præcessit.*

4 Tu quis es qui iudicas. *Ratio quare vicissim infirmus frater non iudicabit firmiorem, à similibus ex rebus ciuilibus sumpta, nempe de ira domini in seruum.*

Proprio domino. *Generaliter de vtroque hominum genere, quòd alter de altero iudicare nõ debeat, quomodocunq; etiã quis lapsus videatur. Sane vbi alter à Domino assumptus dicitur,*

quod

non quomodo pij in his seſe gerere debeant, docere. Noſtra tempeſtate multis in locis, de cibis, diebus, aliiſq; rebus adiaphoris acerrimas diſceptationes motas videre licuit: ad quas dirimendas præſens diſputatio ſalubre conſilium ſuppeditat. Vniuerſum autem hunc locum Apoſtolus docendi ergo in duas ſecat partes: quarum priore clare & perſpicuè definit, quomodo quis eiuſmodi indifferẽtibus rectè vtatur, aut rectè etiam prætermittat: poſteriore vero, quomodo quis non rectè vtatur, ſeu qua ratione ex eorundem vſu vel neglectu peccatum proueniat. Priorem partem ita ab exhortatione orditur: Porrò eum qui infirmatur fide, aſſumite. Ante omnia eos qui robuſtiores ſunt, id eſt, qui in ſana doctrina Euãgelica plus profecerunt, hortatur cæterorum qui nequaquam aſſecuti ſunt parem cognitionem, habeant rationem, neque facile cum iſtis odioſius vllis de rebus diſceptent. Conſtituit duplex hominum genus, quale & ſemper eſt in Eccleſia: alterum eorum qui in ſana doctrina Euangelij & fide feliciter promouerunt, ac probe norunt decernere quid ad ſalutem ſit neceſſarium, quid minus: alterum eorum qui non perinde profecerunt, ſed rudes adhuc & imperiti cito recipiunt quaſipium aut ad ſalutem neceſſarium quicquid vt tale obtruditur. Hæc diſtinctio conſiderata, permulta hic conſpicua efficiet.

2 Alius quidem credit. *Exemplo aperit, tum quales firmos, & quales infirmos intelligi conueniat, tum quibus de rebus disceptationes enatæ fuerint, nempe de ciborum delectu, atque id genus indifferentibus.*

Qui vescitur, non vescentem. *Vtriq; hominum generi quid facere in his debeant præscribit, simulq; definit iuxta peccare, tam firmiores si videntes fratrem infirmum aliter facere atque ipsi faciunt, propterea eum contemnant: quam infirmiores si videntes tale quippiam fieri à firmiore, statim de hoc sinistrè iudicent, ingens ibi peccatum constituendo, vbi à peritioribus reuera nullum agnoscitur.*

3 Deus enim illum assumpsit. *Ratio quare firmior frater infirmum non contemnet, à Dei erga hũc bonitate qua ipsum vocauit. Q. d. Deus illum assumpsit, quamobrem tu quoque merito eum assumes. Respicit ad vocem assumendi, quæ in propositione præcessit.*

4 Tu quis es qui iudicas. *Ratio quare vicissim infirmus frater non iudicabit firmiorem, à simili ex rebus ciuilibus sumpto, nempe de iure domini in seruum.*

Proprio domino. *Generaliter de vtroque hominum genere, quòd alter de altero iudicare nõ debeat, quomodocunq; etiã quis lapsus videatur. Sane vbi alter à Domino assumptus dicitur,*

alter eiusdem factus seruus, par est vtrunque eidem domino stare aut cadere sentiamus.

Immo fulcietur. *Ratio per correctionẽ quare non iudicandum, à certa spe restitutionis eius qui lapsus est, vel lapsus putatur. Quam rationem confirmat, argumento à potentia Dei.*

5 Hic quidem iudicat. *Aliud exemplum proponit de firmo & infirmo diuersum sentientibus, de delectu temporum, sicut priori exemplo agebatur de delectu ciborum.*

Vnicuique sua mens. *Sententia principalis qua definit Apostolus quid in hac cõtrouersia de delectu ciborum, dierum, & similium pios sentire oporteat. Nimirum vnicuique regulam ac iudicem esse debere propriam conscientiam: cuius ductu vnusquisque actiones suas ita debet instituere, quemadmodum vult Domino reddere rationem: ita etiam potest instituere, vt ad gloriam Dei omnes dirigat. Qui hoc moderamine atque his finibus vescitur vel abstinet, potest vtrunque recte facere. Relinquitur ergo Deum in omnibus huiusmodi actionibus præcipue respicere hominum conscientiam, deinde eatenus boni illas consulere quatenus cernit ad suam cõuerti gloriam.*

7 Nullus enim nostrum. *Probatio, quòd Domino vesci aut non vesci debeamus. Nam tota vita nostra & mors Domino impenditur, igitur & particulares actiones, abstinentia siue esus, &*

huius-

huiusmodi. Videtur argumentum duci à toto ad partem, vel à maiore ad minus. Particulam de morte apparet additam amplificationis ergo; vt sit sensus: non solum vitam nostram, sed etiam mortem debere ad gloriam Dei cedere.

8. Siue igitur viuamus. *Confirmatio, quòd omnis vita omnesq; actiones sint Domino impendendæ. Nam is plenam in nos potestatem ac ius obtinet. A simili de seruitute ciuili. Notum enim est ex iure ciuili, seruum quamus quamus sit in potestate domini esse, & quicquid facit domino suo facere. Respicit haud dubie ad id quod paulo ante dixit, vnumquenque seruum domino suo stare aut cadere.*

9. In hoc enim Christus. *Ratio confirmationis ab effectu actionum Christi nostra causa susceptarum. Christus per mortem suam & resurrectionem nos sibi emit, quamobrem sumus omni tempore illius serui, & ipse noster Dominus est, siue viuamus siue moriamur.*

10. Tu verò cur iudicas. *Illatio, quæ ex præcedentibus colligit neutras debere inuicem insultare, neque fortiores infirmioribus, neque è diuerso. Duplicem addit rationem, vtranque eorum quæ dicta sunt manifestam. Altera est, quòd Christo commissum est tribunal, apud quod sisti nos omnes semel oportet. Altera, quod ipsi pro nobis singuli ratione sumus reddituri. Quamobrem*

duplici nomine arguendus venit, quisquis de altero temere iudicare, & quasi rationem facti ab eo exigere præsumit. Nam & Christo suum ius iudicandi præripere, & pro altero velle in iudicio rationem reddere videtur. Quamuis autem prior ratio deriuetur atque euidens fiat ex argumento superiori de dominio Christi, quandoquidem rectè sequitur Christum quia Dominus est, habere quoque potestatem iudicandi: placuit tamen Apostolo interponere illustre scripturæ testimonium ex Esai. 45. quo idem clarissimè comprobatur. Cumprimis elegans est, & seueram increpationem resipit, quod seorsim expostulat primum cum fratre infirmo, deinde cum firmo: artificiosè etiam vos fratris vocabulo inter sese æquans, & audaciam iudicandi latenter conuellens. Tribunal, per metonymiam, significat plenam iudicandi potestatem.

Verũ illud iudicate magis, ne offendiculũ ponatur fratri, aut lapsus occasio.

14 Noui siquidem, & persuasum habeo per Dominum Iesum, nihil esse cõmune per se, nisi ei qui existimat aliquid esse commune, illi commune est.

15 Verum si propter cibum frater tuus contristatur, non iam secundũ cha-

ritatẽ ambulas. Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est.

16 Ne vestrum igitur bonum hominum maledicentiæ sit obnoxium.

17 Non enim est regnum Dei cibus ac potus, sed iusticia, & pax, & gaudium in spiritu sancto.

18 Etenim qui per hęc seruit Christo, acceptº est Deo, & probatus hominibº.

19 Itaque quæ sunt pacis sectemur, & quæ ædificationis alius erga alium.

20 Ne cibi causa, destruas opus Dei. Omnia quidem pura, sed malum est homini qui per offendiculum vescitur.

21 Bonum est non edere carnes, neque bibere vinum, neque quicquam per quod frater tuus impingit, aut offenditur, aut infirmatur.

22 Tu fidẽ habes? Apud temetipsum habe coram Deo. Beatus qui non iudicat seipsum, in eo quod probat.

23 At qui dijudicat, si ederit, cõdemnatus est: quoniã non edit ex fide. Porrò quicquid ex fide non est, peccatum est.

Cap. XV.

DEBEMVS autem nos qui potentes ſumus, infirmitates impotentium portare, ac non placere nobiſipſis.

2 Nam vnuſquiſque noſtrum proximo placeat in bonum ad ædificationem.

3 Etenim Chriſtus non placuit ſibiipſi: ſed quemadmodum ſcriptum eſt: Opprobria opprobrantium tibi inciderunt in me.

4 Nam quæcunq; præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, vt per patientiam & cõſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.

13 Secunda pars huius loci, qua poſteaquã expoſuit quomodo quis cibis & ſimilibus rebus indifferentibus bene vtatur: iam tranſit ad demonſtrandum, quomodo non bene, ſiue qua ratione peccatum in earundem rerum vſu queat obuenire. Videtur autem per occupationem huc accedere. Vbi enim rogaſſet aliquis: Adeon' prorſus nihil refert, abſtineat ne quiſpiam an veſcatur? obſeruet ne laudabiles eiuſmodi ritus an negligat? Reſpondet ſeu definit: omnino multum referre.

referre. Prudenter namque dispiciendum iudicandumq́, ne ex nostris actionibus fratri ponatur offendiculũ. Quid vero offendiculum sit, ipse aliquo modo interpretatur, quando addit: Aut lapsus occasio. Tunc enim offendiculũ præbetur, vbi per nos committitur vel in doctrina vel in moribus, quo conscientia alterius moueri queat ad deficiendum à doctrina seu religione semel suscepta, vel certe ad eam minoris quàm antea æstimandum. Ant autẽ laſis est, quando iudicare hic significat dispicere & curare, vbi priore loco significabat condemnare.

14 Noui siquidem & persuasum. *Vt clarius intelligatur, quomodo quis peccare possit vsu rerum indifferentium, simul diluit quod prætexi potuisset ad auertendam peccati notam, & simul ostendit qua occasione peccatum inde oriatur. Dicturus erat quispiam: Nihil esse cõmune vel prophanum per se, sed tantum opinione hominũ, ideoq́, liberum esse vesci quibuslibet. Respondet Apostolus, verum id esse & se probe scire per gratiam Christi quòd nihil sit commune per se, nisi quatenus aliquis ipse sibi persuadet quippiam commune esse, sed tamen dum tu hac ratione fretus vteris quibuslibet, oritur interea peccatum ex vsus circumstãtia: nempe quando frater tuus infirmus videns te vesci cibo quẽ ipse reuera credit vetitum & prophanum, cõtristatur ob tuum*

factum, existimans te contemptu quodam legis diuinæ id facere. Si penitius intuemur, apta quædam distinctio qua ad quæstionem respondeatur hisce verbis proponitur, in hanc sententiam. Si considerāmus cibum per se, certe eo dum vteris minimè peccas: sin consideratur vsus circumstantia, potest ex hac peccatū incurri, veluti si frater tuus infirmus inde contristetur. Obserua interea quàm prudēter interserat exceptionē, per quam aliquid commune fit. Ei, inquit, qui existimat aliquid commune esse, illi commune est. Clare significans cōscientiam & persuasionem vnicuiq; esse hac in parte iudicem. Vnde qui ea est animi simplicitate ac iudicij inopia, vt credat cibum esse illicitum, is sese obstringit ad abstinentiam, debétque obseruare tantisper dum plenius de libertate per Christum parta edoceatur. Interea vero tametsi opinio quidem sit superstitiosa, tamen obseruatio Deo non displicet, quando infirmus frater sapienter cauet, ne quid dubitante conscientia facere aggrediatur. Commune dixit more Hebræo, pro impuro & prophano, quo prophani Gentiles communiter vtebātur, Iudæi vero Deo deuoti & consecrati minimè vtebantur.

15 Non iam secundum. *Sequuntur aliquot rationes quæ declarant quantū admittatur peccatum eo vsu indifferentiū ex quo frater contristatur, atq; eadem opera suadent ne quid tale*

deinceps

deinceps committere audeamus. Estq́; hæc prima à violata charitate. Dum enim facto tuo contristas fratrem, sanè charitatem violas. Quare libertatis tuæ intempestiuo vsu peccas non leuiter.

Non cibo tuo illum perdas. *Secunda ratio à periculo impediendi effectum mortis Christi. Sententia enim est. Vbi tu tuo exemplo infirmi fratris lædis conscientiam, eum huc adducens, vt doctrinam Euangelij minoris quàm antea pendat, verendum est ne si ille deficiat, in causa sis vt Christus videatur frustra suum pro illo fudisse sanguinem. Qua quidem ratione quis non videat peccatum vehementissimè exaggerari?*

16 Ne vestrum igitur bonum. *Tertia ratio à periculo imminuendi dignitatem Euangelij, præsertim apud exteros. Intempestiuus vsus libertatis, facit vt Euangelium apud aduersarios malè audiat.*

17 Non enim est regnũ Dei. *Quarta ratio à principali fine religionis nostræ, siue à qualitate earum rerũ in quibus regnum Dei præcipuè situm est. Q.d. Euangelium siue regnum Christi non consistit in cibo aut potu, & huiusmodi rebus vilibus & carnalibus: sed in rebus spiritualibus, vera inquã iusticia, pace, gaudio, in cõscientia. In his & ex his æstimandum est Euangelium. Vt autem hæc ratio dicta sit potissimũ ad firmiores qui Euãgelicam suam libertatem Christi virtute*

partam videbantur ostentare in vsu ciborum & similibus, tamen peraquè referri potest & ad infirmiores, qui in hoc grauiter errabant, quòd ad leuicula essent nimium oculati, alios propter cibum aut potum (quasi in his carnalibus rebus situm esset Euangelium) condemnantes, ad excellentiora autem bona spiritualia animum minus intenderent.

18 Etenim qui per hæc. *Probatio, quod regnum Dei sit iustitia, pax, gaudium spirituale, ab effectis. Quia per hæc placet, inquit, aliquis Deo, neque quenquam offendit ex hominibus.*

19 Itaque quæ sunt pacis. *Illatio ex præcedentibus quòd non temere alius alium possimus iudicare vel contemnere, atque omnibus modis debeamus offendicula cauere. Vnde & nonnulla paulo ante exposita repetit, acriusq; inculcat: nempe non esse cibi caussa destruẽdum opus Dei, id est, perdendum hominem quem Christus redemit, vel impediendum Euangelij cursum, quem Deus hucusque promouit. Item cibos omnes per se quidem esse puros, & nihil in iis damnandũ commune, at peccari nihilominus eorum vsu propter circumstantiã, offensionem videlicet infirmorũ.*

22 Tu fidem habes? *Occupatio est. Diluit nanq; quod quidam ex firmioribus ad excusandum suum factum voluissent præexcere, se nimirum sic libere vesci quibuslibet, ad testandum*

suam fidem, qua verè credunt se per Christum liberatos ab eiusmodi oneribus, qua item credũt se salutem consecuturos fide in Christum absque talibus operibus & quibuscunq; obseruationibus. Respondet Apostolus, intempestiuam esse talem fidei ostentationẽ. Fidem namq; esse spiritualem, cuius gloria ambienda sit apud solum Deum, cuiusq; dignitas in rebus carnalibus, præsertim cibo, potu, atque id genus aliis minimè consistat.

Beatus qui non iudicat. *Subiicit tandem generalem de omnibus huiusmodi actionibus sententiam, qua perspicuè docet, quî fiat, quòd quidam rebus quibuscunque à Deo creatis vtantur, & rectè ea in parte faciant: contra autem quidam si vterentur non rectè facerent. Qui seipsum non damnat, inquit, ob promiscuum vsum earum rerum quas δοκιμάζει, id est, probat seu decernit in conscientia sua (edoctus nimirũ verbo Euangelij) liberè esse permissas, talis quia præditus est hac cognitione libertatis per Christum partæ, & beneficium Christi grato animo agnoscit, beatus est & rectè quibuslibet vtitur. Prudenter addit particulam: In eo quod probat. Ea enim excludit securitatem sceleratorum, qui se nunquam iudicãt quidem, at propterea tamen nequaquam sunt beati, neque actiones suas sine noxa perficiunt, quandoquidem non possunt illas probare, seu demonstrare esse iustas.*

23 At qui diiudicat, si. *Hoc est. E diuerso qui dubio perplexóque est animo, ac statuit se non posse salua conscientia, promiscue rebus illis uti (& forte habẽs aliquid ex verbo Dei, quo suam opinionem utcunque muniat) certè is si illis utatur, condemnationem sibi ipse accersit.*

Quoniam non edit ex fide. *Ratio quare condemnatus. Quia non edit approbante conscientia, siue cum certa persuasione quod Deo placeat, quin potius statuit se Deo ea in re magnopere displicere. Ita miser propria conscientia laqueo strangulatur.*

Porrò quicquid ex fide. *Rationis comprobatio, cuius hæc est sententia. Quicquid fit contra conscientiam & cum dubitatione num Deo placeat, peccatum est. Fides hoc loco, constantem animi persuasionem & certitudinem significat ex verbo Dei comparatam.*

1 Debemus autem nos. *Post expositam generalem sententiam, conuertit orationem ad fratres firmiores (quemadmodum & initio hos potissimum compellabat) eósq; sapienter monet, quomodo se erga infirmiores gerere debeant, repetens propemodum eadem quæ initio præsentis loci dicta sunt. Summa hæc est: Qui robustiores sunt, debent rationem habere fratrum infirmorum, & non arbitrabuntur satis esse si placeant sibi ipsis, quia sua conscientia possunt satisfacere*

per

per cognitionem quam sunt præ cæteris adepti, verum etiam dispicient diligenter ne offendant conscientias infirmorum.

2 Nam vnusquisque nostrum. *Ratio à cõmuni officio charitatis quod ab omnibus credentibus iuxta exigitur. Charitas vult vt prosimus, non vt obsimus, & vt ædificemus, nõ vt destruamus. Scientia inflat, at charitas ædificat.*

3 Etenim Christus non. *Rationis confirmatio ab exemplo Christi, qui certe magis semper aliorum quàm suiipsius rationem habuit. Quin etiam scripturæ testimoniũ ex Psal. 69. annectit non sine amplificatione probans, quomodo Christus quoque iniqua iudicia immo approbria aliorum patientissimè tulerit, ex quo argumentum à maiore ad minus hoc pacto decet colligere.*

Christus pertulit iniqua iudicia, imò & contumelias quæ ipsi Deo irrogabantur ab omnibus impiis.

Quanto igitur iustius perferemus nos nostrorum fratrum infirmitatem, qua de nobis sinistrè interdum iudicant?

4 Nam quæcunque scripta. *Astruit exẽplum Christi iam ex scriptura propositum, nobis quoque conuenire, nobisq; esse non segniter imitandum, ratione petita à proprio sanctarum scripturarum vsu: in quibus addit, amplificationis causſa, præter cætera ad patientiam & consola-*

tionem (quæ in hoc negocio ſunt neceſſariæ) plurima eſſe propoſita.

5 Deus autem patientiæ & conſolationis det vobis idem mutuo inter vos ſentire ſecundum Ieſum Chriſtum.

6 Vt vnanimiter vno ore glorificetis Deum ac patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

7 Quapropter aſſumite vos inuicem, quemadmodum & Chriſtus aſſumpſit nos in gloriam Dei.

8 Illud autem dico, Ieſum Chriſtū miniſtrum fuiſſe circunciſionis, pro veritate Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum.

9 Cæterum, vt gentes pro miſericordia glorificent Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propter hoc confitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo canam.

10 Et rurſum dicit: Gaudete gentes cum populo eius.

11 Et rurſum: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi.

12 Et

12 Et rursum Esaias dicit: Erit radix Iesse, & qui exurget ad imperãdum gentibus, in eo gentes sperabunt.

15 *Conclusio totius huius loci constans cõprecatione atque adhortatione, vtráque ad pacem concordiámque alendam inter fratres tam firmos quàm infirmos inuitante. Comprecationem præponit, in qua idem sentire opponit dissidiis, necnon contemptus quo laborant firmiores, ac temerariis iudiciis quæ ferre audent infirmiores. Si omnes idem sentirent, & veritatem ex æquo essent edocti, nulla vnquam offendicula aut temeraria iudicia audirentur, sed omnes vnanimiter vno ore Deum laudarent, necnon ad eiusdem gloriam cuncta facerent.*

7 Quapropter assumite. *Exhortatio, eáque ad firmiores potissimum spectans, adiunctam insuper habens rationem suasoriam ab exemplo Christi, qui dignatus est omnes assumere, vt participes gloriæ Dei efficerentur, ac gloria Dei inde illustraretur. Quæ ratio initio huius loci semel posita est.*

8 Illud autem dico. *Exponit per distributionem quomodo Christus omnes nos assumpserit, ac primum quidem Iudæos, deinde Gentiles, additis vtrobique assumptionis caussis. Quod eo haud dubiè facit consilio, vt Iudæos & Gen-*

tiles, inter quos potissimum hæ de cibis ac diebus similibus q3 rebus exortæ fuerant controuersiæ, in concordiam redigat, neq3 amplius Gentiles de libertate Euangelica satis edocti Iudæos infirmos, iuxta legis præscriptum ciborum dierumq3 delectum adhuc facientes, aspernentur: neq3 rursus Iudæi Gentiles sua libertate vtentes, eoq3 talia nõ obseruantes temerè condemnent.

Pro veritate Dei. *Caussa cur Iudæos assumpserit, vt videlicet comprobaretur Deus verax, atq3 implerentur promissiones ad patres factæ.*

9 Cæterum vt Gentes. *Caussa cur Gentes assumpserit, nimirum vt pro misericordia accepta glorificent Deum. Vides autem ita redditas assumptionis caussas, vt Iudæi & Gentiles planè inter se æquẽtur, & ad solius Dei bonitatem gloria omnis redeat. Quod vehementer conducit, tum ad sedandum dissidia omnia, prohibẽdumq3 ne alter alterum deinceps contemnat vel damnet, tum ad inducendum omnes, vt vno ore Deũ glorificare pro viriculis enitantur.*

Sicut scriptum est. *Vt autem & Gentes magis excitarentur ad glorificãdum Deum pro acceptis beneficijs, atque inter cætera pro libertate per Christum parta: & Iudæi odium omne aduersus Gentiles conceptũ deponerent, eosq3 agnoscerent spiritualium fructuum Euangelij vnà secum participes, atq3 ita omnes simul, vno animo,*

vno

vno ore Deum glorificarent, addit aliquot scrip-
turæ testimonia, præsenti causſæ accomoda. Pri-
mum ſumptum eſt ex Pſal. 18. ſecũdum ex Pſal.
67. tertium ex Pſal. 116. quartum ex Eſa. 11.
quæ de vocatione Gentium, deq; Gentibus & po-
pulo Iudaico Deum pariter glorificaturis multo
clariſſima continent vaticinia.

CONCLVSIO.

13 DEvs autẽ ſpei impleat vos omni gaudio & pace, in credendo, in hoc, vt exuberetis in ſpe, per potentiam ſpiritus Sancti.

13 Comprecatio altera quæ pro breui con-
cluſione vniuerſæ tertiæ partis, in qua tradita
ſunt varia præcepta de iuſtificatorũ vita in cha-
ritate tranſigẽda, recte accipi queat. Si enim re-
ſpiciamus quomodo dari illis optet in fide & ſpe
conſtantiam, qua in re ſumma ſalutis noſtræ ſita
eſt, profecto quilibet ſtatim cenſebit talem com-
precationem multo eſſe aptiſſimam quæ claudẽ-
dæ huic parti adhibeatur.

QVARTA PARS EPISTOLÆ

in qua nonnulla de rebus familiaribus.

14 PERSVASVM enim habeo fratres mei, & ipſe ego de vobis, quod &

ipſi pleni eſtis bonitate, impleti omni ſcientia, valentes etiam inuicem alius alium admonere.

15 Sed tamen audacius ſcripſi vobis fratres, ex parte veluti commonefaciēs vos, propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo.

16 In hoc, vt ſim miniſter Ieſu Chriſti in gentes, adminiſtrans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium acceptabilis, ſanctificata per ſpiritum Sanctum.

17 Habeo igitur quod glorier per Chriſtum Ieſum, in his quæ ad Deum pertinent.

18 Non enim auſim loqui quicquā eorum quæ nō effecit Chriſtus per me, in obediētiam gentium, verbo & facto,

19 Per potētiam ſignorum ac prodigiorum, per potentiam ſpiritus Dei, vt ab Hieruſalem & in circumiacentibus regionibus vſque ad Illyricum impleuerim Euangelium Chriſti.

20 Ita porro annitens prædicare Euangelium, non vbi nominatus erat Chriſtus,

Christus, vt ne super alienum fundamentum ædificarem,

21 Sed quemadmodum scriptũ est: Quibus non est annunciatũ de eo, videbunt,& qui non audierant,intelligent.

22 Quapropter & prępeditus sum sæpe,quo minus venirem ad vos.

23 Nunc vero cum non amplius habeam locum in regionibus his, desyderium autem habeam veniendi ad vos multis iam annis,

24 Quandocunq; iter instituero in Hispaniam veniam ad vos. Spero enim fore, vt istac iter faciens, videã vos, & à vobis producar illuc,si tamen vestra cõsuetudine prius ex parte fuero expletus.

25 Nunc autem proficiscor Hierosolymam ministrans sanctis.

26 Visum est enim Macedoniæ & Achaię eõmunicationẽ aliquã facere in pauperes sanctos qui sũt Hierosolymis.

27 Nam ita visum est ipsis,& debitores illorum sunt. Etenim si spiritualia sua communicauerunt Gentibus, de-

bent & hæ in carnalibus ministrare illis.

28 Hoc igitur vbi perfecero, & obsignauero illis fructum hunc, reuertar per vos in Hispaniam.

29 Scio namque, quod vbi venero ad vos, cum plenitudine benedictionis Euangelij Christi venturus sim.

30 Obsecro autem vos fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, & per dilectionem spiritus, vt me laborantem adiuuetis precationibus pro me ad Deum,

31 Vt liberer ab incredulis in Iudæa, vtq; ministerium hoc meum quod exhibebo Hierosolymis acceptum sit sanctis,

32 Vt cum gaudio veniam ad vos, per voluntatem Dei, vnaque vobiscum refociller.

33 Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

14 *Iam non amplius docet, vel disputat, vel hortatur, sed tantum de sua persona atque aliis quibusdam fratribus paucula subiicit, quemadmodum in Epistolis familiaribus fieri receptũ est.*

est. Quamobrem quicquid deinceps sequitur à præcedentibus remouemus, & pro appendice de rebus familiaribus seorsim constituimus. Diuiditur hæc pars in duas sectiones: quarum priore de sua agit persona, altera de aliis. Quibus autem de rebus hic agat, ordine commonstrabimus. Primum admodum ciuiliter excusat sese, quòd tam libere & copiose ad ipsos scripserit, dicens, se id fecisse, non quasi diffideret de illorum bonitate, vel cognitione, vel diligentia, multo minus quòd arrogantia quadam temere sibi prouinciam hanc docendi sumeret, sed impulsum ratione officij sibi diuinitus iniuncti. Propter gratiam, inquit, quæ data est mihi. Neque profecto abs re hoc pacto se excusat. Certũ enim est multos fuisse Romæ excellenti doctrina præditos, multos item fastuosos & ambitiosos, qui Pauli studium in scribendo statim in peiorem partem erant accepturi. His omnibus calumniandi occasionem Apostolus excusatione ista præripit. Cum vocat se ἱερουργοῦντα, id est, administrantem Euangelium Dei, alludit ad sacerdotium legale, & per amplificationẽ significat munus suum par esse muneri sacerdotum, necnon diligenter prædicando Euangelium se tantundem facere atque si suauissimum sacrificiũ Domino offerret. Quò pertinet quòd addit Gentes quæ Euangelium acceperunt, acceptabilem oblationem Domino

& sanctificatam, per spiritum sanctum, effici.

17 Habeo igitur quod glorier. *Addit nonnulla ad muneris sui Apostolici commendationem, per quæ & confirmat se iure tam audaciter scripsisse, & authoritatem iis quæ hactenus tradidit comparat, contra eos qui authoritatem ipsius voluissent eleuare, eadémq; opera doctrinam quoque in contemptum adducere. Particula illa: In his quæ ad Deum pertinent, disertè arguit se non quærere suam gloriam, nec de personæ suæ dignitate solicitum, sed ea tantum spectare quæ tendunt ad gloriam Dei.*

18 Non enim ausim loqui. *Confirmatio quòd non quærat aliud quàm gloriam Dei. Non volo, inquit, commemorare aliqua nisi quæ Christus per me operatus est. Qua ratione præterquàm quòd iterum reiicit à se omnem suspitionem arrogãtiæ, tum vero & doctrinæ suæ authoritatem longe maximam conciliat, innuens nimirum ita recipiendam vt à Deo ipso profectam, cuiq; ipse de suo nihil admiscuerit.*

In obedientiam Gentium. *Iterum obiter inculcat se Apostolum Gentium, quo Romanis fiat hoc nomine acceptior, necnon in obedientia fidei eos facilius retineat.*

Verbo & facto. *Quanta Christus per ipsum egerit in suo Apostolatu exponit & probat, à signis videlicet ac circumstãtiis. Primum signum*

est

est de excellenti virtute & facultate in dicendo: secundum de præclaris admirandísq; vitæ actionibus: tertium de editis miraculis & prodigiis: quartum de efficacia spiritus sancti in his omnibus conspicuè eminente, nisi malimus potentiam spiritus pro causa efficiente signorum & miraculorum hic adiungi: quinto loco ponit circumstantiam ab effectu siue ab eo quod quàm latissimè Euangelium propagarit: sexto loco aliam circumstantiam, quòd nimirum ibi quoque prædicarit, vbi Euangelium antea annunciarat nemo. Qua in re difficultas & in difficultate successus admirationem ingentẽ meretur. Quam circumstantiam illustrat adhibito scripturæ testimonio ex Esai. 52. quod cum clarissimè doceat ad Gentes quibus antea non fuerat annunciatum mittendos fore Apostolos qui Euangelium prædicarent, intelligitur causſæ Apostoli optime seruire, atque Apostolum iuxta vaticiniũ prophetæ munus suum fideliter peregisse. Omnia hæc magnum habent pondus ad exornandam Apostoli dignitatem, vtpote quæ non modo testantur eum verũ legitimumq; esse Gentium Apostolum à Deo ordinatum, verum etiam fidem ac diligẽtiam ipsius in tanto munere maximopere commendant.

22 Quapropter & præpeditus. *Postquam parauit sibi authoritatem, transit ad conciliandum sibi etiam Romanorum beneuolẽtiam, præ-*

cipuéque à ſuo erga ipſos ſingulari adfectu ac voto coram familiaritérque aliquando cum ipſis agendi. Adſpergit particulas quæ adfectum ipſius mirè illuſtrant amplificantq́.

25 Nunc autem proficiſcor. *Interea excuſat ac reddit cauſſam cur non poſſit cito venire. Quod ſane hoc facit conſilio, ne ſi tardius opinione ſua vel illorum veniret, vanitatis inſimularetur, aut crederetur non ità prorſus adfectus erga eos, vti verbis prædicat. Proficiſcor Hieroſolymam, inquit, non ob priuatum aliquod negocium, ſed miniſtrans ſanctis.*

26 Viſum eſt enim. *Exponit quale ſit illud miniſterium in ſanctos.*

27 Nam ita viſum eſt. *Duplex ratio. Altera à promptitudine animi ipſorum, quæ niſi adſit, non poteſt quod offertur placere: altera ab æquo ſiue à debito. Et quia ſatis libere dictum videbatur, Macedones & Achaicos debitores eſſe illis qui in Iudæa procul agebant, addit probationem à collatione accepti & dati, ſeu minoris cum maiore, dicens: Etenim ſi ſpiritualia ſua pij Iudæi docendo & propagando Euangelium comunicauerunt Gentibus, &c. Porrò has rationes cum probatione ideo inſeruit Apoſtolus, vt verecũde inſinuaret, Romanos illarum Eccleſiarum imitari debere beneficẽtiam, necnon perinde eſſe debitores ſanctorũ in Iudæa, ac Macedones.*

28 Hoc

28 Hoc igitur vbi fecero. *Pergit suum adfectum erga Romanos declarare. Voce obsignandi (σφραγισάμενος) fidem suam in reddenda eleemosina commendat, significans se ea prorsus fide redditurum, qua solent, quæ annulo obsignata committuntur.*

29 Scio nanque quòd vbi. *Amplificatio à certa spe magni boni spiritualis.*

30 Obsecro autem vos fratres. *Adiicit petitionem qua cum sciret sibi vndique grauissima pericula imminere, præsertim ab aduersariis Iudæis & in Iudæa, obtestatur vt pro se apud Deum orationibus intercedant. Ac tria potissimum cupit sibi à Deo impetrari, eáque magis ad Ecclesiarum quàm suam vtilitatem pertinentia.*

33 Deus autem pacis. *Comprecatio pro more subiecta. Atque hæc ferè de persona sua: quæ sequuntur magis spectant ad alios.*

Cap. XVI.

1 COmmendo autẽ vobis Phœben, sororem nostram, quæ est ministra Ecclesiæ Cenchreensis,

2 Vt illam suscipiatis in Christo, ita vt decet sanctos, & adsitis ei, in quocunque vobis eguerit negocio. Nam hæc cum multis adfuit, tum mihi etiam ipsi.

3 Salutate Priſcam & Aquilam, adiutores meos in Chriſto Ieſu,

4 Qui pro anima mea ſuam ipſorum ceruicem ſuppoſuerunt. Quibus non ego ſolus gratias ago, ſed & omnes eccleſiæ gentium,

5 Item quæ in domo illorũ eſt congregationem. Salutate Epænetum dilectum meum, qui eſt Primitiæ Achaiæ in CHRISTO.

6 Salutate Mariam, quæ multum laborauit erga nos.

7 Salutate Andronicũ, & Iuniam, cognatos meos & concaptiuos meos, qui ſunt inſignes inter apoſtolos, qui etiam ante me fuerunt in Chriſto.

8 Salutate Ampliam dilectũ meum in Domino.

9 Salutate Vrbanum adiutorem noſtrum in Chriſto, & Stachyn dilectum meum.

10 Salutate Appellam, probatum in Chriſto. Salutate eos qui ſunt ex Ariſtobuli familiaribus.

11 Saluta-

11 Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcisci familiaribus, hos qui sunt in Domino.

12 Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persiden dilectam: quæ multum laborauit in Domino.

13 Salutate Rufum electum in Domino, & matrem illius ac meam.

14 Salutate Asyncritū, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Mercurium, & qui cum his sunt fratres.

15 Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum & sororem eius, & Olympam, & qui cum his sunt, omnes sanctos.

16 Salutate vos inuicem cum osculo sancto. Salutāt vos Ecclesiæ Christi.

17 Obsecro autem vos fratres, vt considereris eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didicistis, gignunt, & declinetis ab illis.

18 Nam qui eiusmodi sunt, Domino Iesu Christo non seruiunt, sed suo

ventri,& per blandiloquentiam & assentationem decipiunt corda simplicium.

19 Nam vestra obedientia ad omnes permanauit. Gaudeo igitur sane de vobis. Sed volo vos sapientes quidē esse ad bonum, synceros autem ad malum.

20 Deus autem pacis conteret satanam sub pedes vestros breui.

1 Sicut solet in Epistolis fieri, commendationes & salutationes aliquot subiicit. Phœben quandam commendat duplici nomine, tum quòd ministra Ecclesiæ, tum quòd de multis sanctis, imprimis doctoribus Euangelij benè merita. In salutationibus hoc obseruatu dignum, quòd nullum sine honorifica pietatis in ipso eminentis commemoratione præterit.

17 Obsecro autem vos fratres. *Adhortatio blanda quadam obtestationis specie, qua monet vt sanam doctrinam semel acceptam, præcipuéque hac Epistola traditam constanter retineant. Quam probabile est ideo postremo loco positam, quia cupit altissimè omnium animis infixam hærere. Porro vt sanam doctrinam retinere possint, iubet sibi studiose caueant à pseudoapostolis & hypocritis qui dissidia atque offendicula contra eam suscitant.*

18 Nam

18 Nam qui eiusmodi sunt. *Quo autem vitare eos vnusquisq; cõmodius posset, addit eorundẽ descriptionẽ & notas vnde dinosci queant, per quas et omniũ animos moueri par est vt multo studiosissimè tales deuitent. Omnia faciunt, inquit, vt ventri suo prospiciãt, non vt gloriã Christi augeant. En scopus illorũ & finis. Deinde decipiunt corda simpliciũ. En effectus. Idq; per blãdiloquẽtiam & assentationẽ. En modus siue forma.*

19 Vestra quidem obedientia. *Occupatio. Ne egrè ferrent vlli Romanorum se ita admoneri ab Apostolo quasi is de ipsorum fide vel prudẽtia dubitaret, per præoccupationem tribuit illis egregiam laudem obedientiæ erga Euangelium, quin ob eandem etiam congratulatur illis: sed interim significat se vehementer cupere, vt sapientia ipsorum ad bonum magis magisq; excitetur, neque ad malum insidiosè abduci per hypocritarum blandiloquentiam vllo modo se patiantur. Breuiter, sapientes ad bonum, simplices vero & pueros ad malum esse eos cupit.*

20 Deus autem pacis. *Magna fiducia animi subiicit futurum, vt hostes omnes cum suo principe superent. Est quidem precatio seu votum, sed expressit Apostolus per assertionem, propterea quod maximam certitudinem de ope diuina hac in parte animo oportet concipere & felicem successum expectare.*

SVBSCRIPTIO.

GRatia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit vobiſcum.

21 Salutant vos Timotheus cooperarius meus, & Lucius, & Iaſon, & Soſipater, cognati mei.

22 Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam in Domino.

23 Salutat vos Gaius hoſpes meus, & Eccleſiæ totius. Salutat vos Eraſtus, quæſtor ærarius ciuitatis, & Quartus frater.

24 GRatia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum omnibus vobis, Amen.

25 Ei autē, qui potens eſt vos confirmare, ſecundum Euangelium meum, & præconium Ieſu Chriſti, iuxta reuelationem myſterij temporibus æternis taciti,

26 Manifeſtati vero nunc & per ſcripturas propheticas iuxta delegationem æterni Dei, in obedientiam fidei, in omnes Gentes patefacti,

27 Soli ſapienti Deo, per Ieſum Chriſtum,

Christum, cui gloria in sæcula. Amen.

Subscriptio Apostolo vbique vsitata, vt ipse refert 2. Thessal. 3. Verum quia nouas adnectit salutationes nomine aliorum fratrum, subscriptionem secundo repetit.

25 Ei autem qui potens. *Post omnia breuem gratiarum actionem, religiosa mente subnectit, qua Romanorum animos tacite excitat vt similiter Deo agant gratias pro Euangelij cognitione accepta, eundémque rogent, dignetur ipsos in illa confirmare. Admiscet autem splendidum Euangelij encomium, quod omnes ad constanter illud colendum prouocare possit. Primo vocat Euangelium, præconium Christi, notans Christum esse subiectum seu materiam, vt loquuntur, Euangelij, quando omnis Euangelij cantio de Christo est. Deinde vocat mysterium seu arcanum, venerandam quandam maiestatem ea appellatione illi concilians. Tum, tacitum temporibus æternis nunc vero manifestatum, eo pacto ab antiquitate id commendans. Præterea Prophetarum scriptis annunciatum, haud dubiè ne, quasi nouum aut à veteri Legis ac Prophetarum doctrina dissidens, suspectum haberetur. Ad hæc ipsius Dei iussu ac mandato patefactum, insinuans authorem Euangelij ipsum Deum, eoq;*

illud omni humanæ doctrinæ anteferendum. Patefactum insuper iussu Dei in omnes Gentes, vt persuasissimum sit eius fructus etiam ad Gentes, & in his præcipue Romanos pertinere. Denique obœdientiam fidei ponit ceu Euangelij caussam finalem, adeoq; effectum. Respondet aliquo modo hæc descriptio illis, quæ in salutatione Epistolæ habebatur.

Ad Romanos missa fuit à Corintho per Phœben ministram Cenchreensis Ecclesiæ.

FINIS.